A. M. D. G.

DE VERA RELIGIONE

EX OFFIC. LITH. COLL. GEORGIOPOLITANI

MDCCCLXIII
1863

Conspectus Propositionum.

Pars 1ª.

Quæ sit vera Religio.

Prop. 1ª Datur religio naturalis.

Prop. 2ª Ad finem ultimum non perducunt hominem notitia religionis naturalis et vires liberi arbitrii, nullo alio adjuncto subsidio.

Prop. 3ª Quisquis intelligit notitiam religionis naturalis, etiam suffultam viribus liberi arbitrii non perducere ad finem ultimum, is investigare debet utrum existat divina ulla revelatio quæ indicet undenam hauriri possit perseverans in bono voluntas.

Prop. 4ª. Recta inquisitio religionis revelatæ non aliter institui potest, quam inquisitione testimonii historici, quod revelationi, si qua facta fuerit, sit coævum, et inde ad hanc ætatem non interruptum.

Prop. 5ª. Nec Polytheismus, nec Mahometis-

mus, nec Judaismus hodiernus, vere revelata religio est.

Prop. 6ª. Si qua sit a Deo revelata religio non alia profecto est quam ea quæ per J.C. promulgata dicitur.

Prop. 7ª. Si qua sit a Deo per J.C. revelata religio, testis ejus idoneus non est ulla secta acatholica.

Prop. 8ª Si qua sit a Deo per J.C. revelata religio, testis ejus idoneus non alius esse potest quam Ecclesia Catholica.

Prop. 9ª Summa fide historica dignum est testimonium Ecclesiæ catholicæ asserentis traditam sibi esse a Χto per Apostolos totam doctrinam Salutis, eamque contineri tum in Scripturis V. et N. Testamenti, tum in non-scriptis traditionibus.

Prop. 10ª In Scripturis V. T. prænunciat Deus fore ut 1º) legatus ille divinus qui Christus dicitur, instituat societatem, conflatam ex Judæis et gentibus, ac perpetuo duraturam, quacum Deus 2º) abolito Sacerdotio ac fœdere Mosaico, et novo Sacerdotio suffecto, ineat 3º) novum fœdus, in eo consistens ut faciat eos perseveranter ambulare in mandatis suis.

Prop. 11ª Jesus Nazarenus professus est.

se esse Christum prænuntiatum in scripturis V. T., et 2º) hanc assertionem confirmavit miraculosis operibus, et 3º miraculosis prædictionibus.

Prop. 12ª J.C. instituit corpus Pastorum, quibus contulit potestatem et officium docendi omnes indiscriminatim omnium temporum gentes, necnon ministrandi eis sacramenta, easque regendi.

Prop. 13ª Corpori Pastorum præfecit Xtus Petrum et successores ejus, tanquam centrum necessarium unitatis in Doctrina, Ministerio et Regimine.

Prop. 14ª Corpori pastorum composito ex Petro et Pastoribus ei subordinatis promisit Xtus perpetuam efficaciam ad procurandam apud quascunque gentes unitatem in fide et dilectione Christiana, et consequenter perpetuam infallibilitatem.

Prop. 15ª. Successores Apostolorum in potestate docendi, ministrandi, regendi, Christus non alios instituit quam Episcopos.

Prop. 16ª Successores Petri, ut capitis corporis Pastorum, non alii unquam fuerunt nisi Romani Pontifices.

Prop. 17ª Ecclesia Catholica hodierna

est illa ipsa Ecclesia quam Christus instituit.

Coroll. Ergo vera religio ea demum est quam profitetur Ecclesia Catholica.

Pars 2a

Ubinam inveniatur Dei verbum illud quod Ecclesia credendum proponit.

Prop. 18a Dantur traditiones, nullibi in Sacris bibliis consignatæ, quæ continent Dei verbum ad salutem Ecclesiæ prolatum.

Prop. 19a Libri V. ac N. Test., prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt in vulgata Veteri Editione Latina, continent Dei verbum, inspirante ac movente Deo conscriptum.

Pars 3a

Quomodo manifestetur infallibilis Ecclesiæ Doctrina.

Prop. 20a Manifestatur totius Ecclesiæ doctrina:

a) per quotidianam professionem doctrinæ contentæ in symbolis fidei,

b) per uniformem doctrinam Liturgiarum,

c) per uniformem doctrinam consignatam in Libris Catecheticis,

d) per usum earumdem ubique Scripturarum Sanctarum, ut regulæ fidei,
e) per definitiones Conciliorum generalium,
f) per definitiones Romanorum Pontificum,
g) per uniformem doctrinam S.S. Patrum aut Theologorum.

Pars 4ª

De objecto adæquato Infallibilitatis.

Prop. 21ª Ecclesia proponit totum id quod Christus credendum, sperandum et agendum præcepit.

Prop. 22ª Ecclesia docens infallibilis est in discernendo objectum infallibilitatis suæ, et omnes conditiones ad eam requisitas.

Prop. 23ª Ecclesia docens infallibiliter determinat quibus in libris aut traditionibus non-scriptis continetur verbum Dei ad salutem humani generis prolatum. Et consequenter:

Prop. 24ª Ecclesia docens infallibiliter determinat sensum S.S. Scripturarum.

Prop. 25ª Ecclesia docens infallibiliter determinat quibus in verbis aut

scriptis contineatur doctrina fidei Cath. aut bonis moribus seu contraria seu periculosa.

Pars 5a

De Regula fidei Catholica.
De sectis Orientalibus hodiernis.
De sectis Occidentalibus hodiernis.
De Regula fidei Protestantica.

Pars 6a

De efficacia sectarum:
a) in diffusione cognitionis Dei et observantiæ legis naturalis,
b) in promovenda pace ac stabilitate civitatis.

De Methodo adhibenda in tradenda doctrina religionis pro vario hominum captu et statu.

De Vera Religione.

Pars Prima.

Quae sit Vera Religio.

Prop. 1a

Existit Religio Naturalis.

Nam religio naturalis vocatur complexus officiorum quorum observantia necessaria est ad finem ultimum attingendum, et quae necessario consequuntur ex essentiali dependentia hominis a Deo ut principio primo omnis Veritatis ac Bonitatis.

Atqui existit hujusmodi dependentia hominis a Deo, et ex hac dependentia necessario consequitur existentia officiorum quorum impletio ad assecutionem Dei ut finis ultimi, omnino requiritur.

Ergo existit religio naturalis.

Prob. Min. Pars 1°) constat ex philosophia, imo ex communi naturae sensu, hominem nec esse posse, nec summe esse posse nisi per participationem divini Esse. Ergo existit hominis a Deo dependentia essentialis.

2°) Summa participatio divini Esse nil aliud est quam summa humani intellectus ac voluntatis cum divino intellectu ac voluntate conformitas ac similitudo, proinde summa hominis in cognoscendo, judicando et volendo similitudo cum divina Veritate ac Bonitate.

Ergo omnis illa dispositio humanae voluntatis et intellectus quae sit a divino Intellectu et Voluntate difformis, ejus naturae est, ut stante hac dispositione impossibilis sit assecutio beatitudinis.

Porro non assequi, id est, amittere finem ultimum, est summum malum naturae rationalis, et necessitas agendi, vitandi, removendi hoc aut illud, nisi velis incidere in summum rationalis naturae malum, vocatur officium ad religionem pertinens. Ergo ex hominis a Deo dependentia, necessario consequuntur religionis officia, quae sunt intellectus et voluntatis dispositiones, quas re-

cesse est vel vitari aut removeri, ne homo in damnum naturae suae rationalis malum incidat. Ergo existit complexus officiorum etc.

Ergo existit Religio Naturalis.

Prop. 2ª

Ad finem ultimum non perducunt hominem notitia religionis naturalis et vires liberi arbitrii, nullo alio adjuncto subsidio.

Probo. Finem ultimum non assequitur homo, nisi probationis suae tempus aut semper innocens, aut cum offenso Deo reconciliatus ~~fix~~fuerit.

Atqui neutrum istud bonum praestat notitia religionis naturalis, etiam suffulta viribus liberi arbitrii si aliud subsidium non accedat. Ergo etc.

Prob. Maj. iis argumentis quibus Philosophia probat impletionem legis naturalis esse conditionem necessariam ad beatitudinem consequendam. Impletio enim legis naturalis ad beatitudinem requisita ea sola est quae in finem perseverat: atqui haec ipsa est quam vocamus innocentiam quae in finem perseve-

rat vel integra vel reparata.

Prob. Min. 1°.) quoad notitiam religionis naturalis.

Notitia haec quantumlibet accurata, nec praestat homini ut vivat innocenter, nec docet eum viam qua possit cum offenso Deo redire in gratiam et in recuperata innocentia perseverare usque in finem. Patet hoc a nostra ipsorum experientia.

Confirmatur idipsum ex historia religionum qualiumcunque, in quibus quum unanimiter agnita fuerit necessitas reconciliationis, tamen modus eam obtinendi nuspiam petitus fuit ex ullo dictamine legis naturalis.

Constat hoc de religione Mosaica, de Sectis Christianis quibuscumque, de Mahometanis, de Polytheistis tum Aegyptiis, tum Graecis, tum Romanis, tum Indis ac Sinensibus, tum Germanis, tum Mexicanis etc. Et sane nonnisi positivam quampiam institutionem secuti sunt quicunque ad impetrandam remissionem peccatorum adhibuerunt sacrificium. Vide Aug. De Civ. Dei. l. 10. — De Maistre, Des Sacrifices.

Prob. Min. 2°.) quoad vires liberi ar-

bitrii.

Quod vires liberi arbitrii non praestant perseverantem in bono voluntatem, S. Thom. lib. 3. Contra Gentes, hisce rationibus efficit.

a) "Omne quod de se est variabile, ad hoc quod figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis. Homo autem variabilis est et de malo in bonum et de bono in malum. Ad hoc igitur quod immobiliter perseveret in bono... indiget auxilio divino.

b) Ad illud quod excedit vires liberi arbitrii, indiget homo auxilio divinae gratiae. Sed virtus liberi arbitrii non se extendit ad hunc effectum, qui est perseverare in bono finaliter. Quod sic patet. Potestas enim liberi arbitrii est respectu eorum quae sub electione cadunt; quod autem eligitur est aliquod particulare operabile, particulare autem operabile est quod est hic et nunc; quod igitur cadit sub potestate liberi arbitrii est aliquid ut nunc operandum. Perseverare autem non dicit aliquid ut nunc operabile, sed continuationem operationis per totum tempus. Iste igitur effectus qui est perseverare in bono est supra potestatem liberi arbitrii.

c) Licet homo per voluntatem et liberum arbitrium sit dominus sui actus, non tamen est dominus suarum naturalium potentiarum; et ideo licet liber sit ad volendum vel non volendum aliquid, non tamen volendo facere potest quod voluntas ad id quod vult vel eligit, immobiliter se habeat. Hoc autem requiritur ad perseverantiam, ut scilicet voluntas in bono immobiliter permaneat. Perseverantia igitur non est in potestate liberi arbitrii.

d) Si sunt plura agentia successive, quorum scilicet unum agat post actionem alterius, continuitas actionis non potest causari ab uno aliquo istorum, quia nullum eorum semper agit; nec ex omnibus, quia non simul agunt; unde oportet quod causetur ab aliquo superiori quod semper agat, sicut Philosophus probat quod continuitas generationis in animalibus causatur ab aliquo superiori sempiterno. Ponamus aliquem perseverantem in bono. In eo igitur sunt multi motus liberi arbitrii in bonum tendentes, sibi invicem succedentes usque ad finem. Hujus igitur continuationis boni, quod est perseverantia, non potest esse causa aliquis istorum

motivum, quia nullus eorum semper durat; nec omnes simul, quia quum non simul sunt, non possunt simul aliquid causare. Relinquitur ergo quod ista continuatio causetur ab aliquo superiori.

Indiget igitur homo auxilio superioris gratiae ad perseverandum in bono.

Prop. 3a.

Quisquis intelligit Notitiam religionis naturalis, etiam suffultam viribus liberi arbitrii non perducere ad finem ultimum, investigare debet utrum existat divina ulla revelatio quae indicit undenam hauriri possit perseverans in bono voluntas.

Prob. Quanta enim necessitate tenetur homo ad efficacem prosecutionem finis ultimi, tanta etiam tenetur ad investigandum quid illud sit quo fiat et perseveretur in bono,

et attingatur finis ultimus.

Atqui necessarium istud adjutorium quale sit, et undenam accipiatur, Ratio nullatenus indicat. Ergo quaerenda est Revelatio. — Vide Lactantium, Divin. Instit. Libr. 3. a cap. 24. ad 28.

Objectiones.

Occurrunt hic objectiones jam in philosophia propositae ad probandum non esse quidquam ad hominis salutem a Deo revelatum aut revelabile; scilicet

a) Aut enim res revelata de numero earum est, quas Ratio per seipsam, vel experientia vel observatione cognoscit, aut cognoscere potest, et tunc revelationem inutilem esse: aut res erit supra hominis sensum ac scientiam; et tunc non poterit intelligi, adeoque iterum frustra esset revelatio.

b) Nullam esse revelationem sine miraculo, nec revelationem certam sine miraculo certo: jam vero non posse fieri miracula, nec si fiant, certo cognosci.

c) Quaeritur etiam ~~si~~ quid futurum sit de homine qui revelationem constanter quaesitam non invenerit.

Si damnetur, damnari sine culpa; si non damnetur nullam esse necessitatem quærendæ revelationis, quam qui non invenerit, non damnabitur.

Solutiones

Ad 1am objm respondetur, negando 1am ejus partem, et distinguendo alteram. Etiamsi res à Deo revelatā ejusmodi foret ut eam ratio, etiam absque revelatione, percipere posset, non continuo sequeretur inutilem ejus revelationem fore. Quamvis enim homo non-Christianus educatus inter gentes Christianas, facillime cognoscat existentiam ac providentiam unius Dei Creatoris, et immortalitatem animæ humanæ, nec non pleraque legis naturalis officia; tamen populi multi, temporum aut locorum intervallo ab omni Christiana societate remoti, primas illas veritates aut ignorant, aut magnis erroribus offuscant. Ergo non frustra esset revelatio.

Ad alteram partem respondetur rem quæ non sit intelligibilis in intrinseca sua ratione, posse fieri credibilem ad auctoritatem revelantis. Ergo....

Ad 2m Objm respondetur eadem libertate ac potentia qua constitutæ sunt posse naturæ leges physicas suspendi. Eomi.

iter, eodem plane criterio cognosci legum physicarum seu constantiam, seu interruptionem, si qua fiat. Ergo si possit certo cognosci legum physicarum constantia, poterit etiam certo cognosci istius constantiae interruptio.
Ad 3um Obj^m^ Respondetur, investigatorem revelationis si qua facta sit ad salutem necessariae, non fraudabit inventione quaesitae revelationis nisi proprium peccatum: ergo vel inveniat et non damnabitur; vel non inveniet, et damnabitur ob peccatum propter quod factum est ut non inveniret.

Prop. 4^a^

Recta inquisitio religionis revelatae non aliter institui potest, quam inquisitione testimonii historici, quod revelationi sit coaevum, et ad hanc aetatem non interruptum.
Prob. Revelatio, si facta sit, ea solum via cognosci potest, qua sola de facto quocunque nobis constat. Haec autem via non alia est quam testimonium facto coaevum et non-interruptum. Ergo ....
Huic thesi adversantur ii, qui existimant nulli testimonio historico eam inesse certitudinem objectivam quae substernat fidei divinae motiva credibilitatis satis firma. Vide Lamennais, et

refutationem ejus a P. Rozaven.

Prop. 5ª

Nec Polytheismus, nec b) Mahometismus, nec c) Judaismus hodiernus, vere revelata religio est.

Prob. generatim. — Non enim allegant, nec allegare possunt, revelationis, cujus fidem profitentur, testimonium coaevum et non-interruptum.

Prob. a) Quoad Polytheismum. Primum, quia traditionem continuam de revelatione illius formae Polytheismi nemo adhuc invenit. Tum quia nequit esse facta revelatio approbans cultum idololatricum, cujusmodi est divinus ille honor quem omnis Polytheismus dat rebus aut creatis aut fabulosis.

b) Quoad Mahometismum. Divinam missionem Mahometis, ipsi Mahometani nullis historicis documentis probare satagunt, eo quod ipse Mahometes in Alcorano profiteatur missum se ut religionem non miraculo sed gladio diffundat. Deinde theologia Mahometis, tum dogmatica, tum moralis nullo negotio falsa deprehenditur. Vide Summarium ejus apud Bergier, Dict. théol. art. Mahométisme.

c) De Judaismo hodierno. — Profitentur hodierni Judaei religionem suam non aliam esse quam illam quae per Moysen revelata fuit. ~~fuit~~. Sed hanc assertionem falsam esse vel hinc apparet, quod observatio legis Mosaicae facta est hodiernis Judaeis physice impossibilis. Nam 1°) exigit ista lex ut Israelitarum status civilis non minus quam religiosus sit legi Mosaicae conformis, adeoque ut gens Israelitica in unum corpus politicum, i.e. in unum nationis nomen adunata, fruatur libertate suis legibus utendi in utroque foro. 2°) Praescribit ista lex solemnitates Paschae, Pentecostes, et Tabernaculorum a tota natione celebrandas, et sacrificiorum oblationes, quorum neutrum liceat alibi fieri nisi in eo loco quem elegerit Dominus (Deuter. 16). Quis autem nunc locus est quo ad condictam diem omnes per orbem Israelitae conveniat? 3°) Exigit ista lex cultum publicum, sed exercitium ejus interdicit omni non Levitae, ita quidem ut functio sacrificandi, in ipsa tribu Levi soli familiae Aaron sit in perpetuum reservata. Nunc autem nulla exstant publica ac cer-

ta documenta quæ tribum discernant a tribu, familiam a familia. Periit ergo sacerdotium Aaronicum, et cum eo sublata est lex Mosaica, utpote servatu impossibilis.

Prop. 6ª

Si qua sit a Deo revelata religio, non alia profecto est quam ea quæ per Christum Jesum promulgata dicitur.
Prob. Sectarum non-Christianarum religio, revelata credi nequit, ut constat ex Prop. 5ª: præter harum autem sectarum religiones, nulla existit alia quam Christiana, quæ pro revelata haberi possit, nisi forte in decursu investigationis peremptoria contra ejus veritatem objectio inveniatur. Ergo quum hæc investigatio a nobis nondum facta sit, hoc unum superest, ut discamus a quapiam societate Christiana, quæ fide dignum testimonium ferre possit, an et qualis sit a Deo per Christum revelata religio.

Prop. 7ª

Si qua sit a Deo per Xtum revelata religio, testis ejus idoneus non est ulla secta acatholica.

Prob. 22 Christianas sectas, definitione interim mere nominali, eas vocamus quae agnoscunt Jesum Nazarenum ut missum a Deo doctorem verae religionis. Acatholicas vocamus eas quae Catholicam Societatem, cœtum viz. illum qui sub Romani Pontificis auctoritate X^ti fidem profitetur, deseruerunt. Harum jam sectarum Acatholicarum dicimus nullam omnino esse quae teneat revelatam a Jesu Christo religionem. Probamus hoc ex tempore quo singulae ortae sunt.

Omnis Acatholica secta orta est postquam Apostoli doctrinam Christi jam praedicaverant, atque miraculis confirmaverant. Atqui si ita est, omnis Acatholica secta profitetur fidem diversam a fide praedicata per Apostolos, et consequenter rejicit testimonium Apostolorum, i.e., eorum qui primi viderunt et audierunt quid X^tus fecerit, quid docuerit, quasi eorum testimonium non sit sufficiens ad faciendam fidem. Ergo omnis Acatholica secta caret testimonio coaevo primorum testium. Ergo .....

Maj. prob. Chronologia.

Minoris 1am partem sic ostendimus. Qualibet secta est id quod est, per doctrinam quam profitetur, ita ut haec sit forma eam specificans, ut Philosophi loquuntur. Ergo quaecunque secta differt a priori quapiam, ea profitetur doctrinam quae differt a doctrina sectae prioris. Omnis autem secta posterior differt a priori quacunque non tempore solum, sed etiam doctrina: secus enim non diceretur orta posterius, sed esset prioris continuatio, i.e. prior ipsa perdurans. Ergo omnis secta, orta post inchoatam praedicationem Apostolorum, profitetur doctrinam diversam a doctrina Apostolorum. Ergo stat 1a pars Minoris.

Minoris 2a Pars sic probatur. Si testimonium Apostolicum secta posterior reciperet ut fide dignum, non profiteretur secta posterior Apostolis, diversam ab Apostolica doctrinam. Profitetur autem diversam, eo ipso quod posterior secta est. Ergo non recipit testimonium Apostolicum. Juverit hoc ipsum paulo aliis verbis explicare.

Inter quamlibet sectam Acatholicam et praedicationem Apostolorum in-

Nosatam vel nulla intercessit generatio, vel intercessit una aut plures: si primum: nova haec secta Apostolis, quos videbat et audiebat, non credidit; si alterum: nova haec secta toti generationi proxime antecedenti, quam solam videbat et audiebat, non credidit. Ergo nova haec secta testimonium Apostolicum non suscipit ullo modo: non immediate quidem, quia Apostolos ipsos vel praesentes audire noluit, vel defunctos audire non potuit: sed nec mediante testimonio generationis quae Apostolis posterior novam hanc sectam proxime antecedit. Si enim testimonium ejus nova haec secta susciperet, jam non esset nova. Solent utique omnes ejusmodi sectae doctrinam suam Apostolicam vocare tum quod Scripturas N. T. recipiant ut regulam fidei, tum quod datam ab Apostolis interpretationem Scripturarum, decursu temporis oblivioni datam, ipsae denuo reperirent. Sed frustra sunt.

Respondemus enim, apostolicam interpretationem Scripturarum jam olim deperditam, novae huic sectae

quis dedit? Non ipsi Apostoli dudum mortui: non generatio proxime antecedens, quippe quæ, ut vult nova ista secta, rectam interpretationem vel ne accepit quidem, vel saltem oblita est. Ergo omnis Acatholica secta, velit nolit, fateri debet, se independenter ab omni idoneo testimonio historico definivisse quam religionem J.C. instituerit Apostolis tradiderit. Istam in rebus historicis ariolationem, Theologi vocant spiritum privatum.

Prop. 8a

Si qua sit a Deo per Xtum revelata religio, testis ejus fidelis non alius esse potest quam Ecclesia Catholica.

Prob. 1o Quia Prop. 3a jam vidimus frustra quæsitum iri revelatæ per Christum, si qua sit, religionis, notitiam certam, apud sectas Acatholicas. Atqui præter has omnes nulla alia est quæ Christianam aliquam religionem profiteatur, nisi Ecclesia Catholica. Ergo....

2o Fidelis transmissio doctrinæ Xti si quam tradidit, non potuit fieri per societates religiosas plures, sed tantummodo per unam quæ exstiterit inde

a Christo usque ad hanc aetatem. At
qui una haec societas non alia fuit
quam Ecclesia Catholica. Ergo ....
Majorem probamus hoc modo. Nequit
fieri fidelis transmissio doctrinae X^tae,
nisi generatio secunda acceptet aucto-
ritatem ac testimonium generationis
primae quae Christum vidit et audi-
vit, et nisi tertia generatio acceptet
testimonium secundae, et quarta tes-
timonium tertiae ... et decima-nona
testimonium decimae-octavae. Atqui
sectae plures invicem succedentes, sunt
sectae quoad doctrinam diversae, alio-
qui non essent plures: sectae autem di-
versae quoad doctrinam religionis, non
acceptant altera alterius doctrinam
religiosam nec proinde transmittunt
generationi subsequenti testimonium
illius alterius sectae praecedentis,
ut testimonium fide dignum. Ergo
sectae invicem succedentes non pos-
sunt ferre testimonium ininterrup-
tum de religione Christi, quia ipsa
eorum pluralitas, adeoque diversi-
tas, facit ut secunda secta non cre-
dat primae, nec tertia credat secundae
et sic consequenter; adeo ut datur
interruptio doctrinae inter sectam

si posteriorem quamlibet. Unde si ex-
stitit testimonium ullum ininter-
ruptum ac fidele de doctrina Xti,
testimonium istud transmissum
fuit ab unica Societate quae exsti-
terit inde a Christo ad hanc aetatem.
Minorem probamus sic: Series Ro-
manorum Pontificum regreditur
a saeculo 19º usque ad Petrum Prin-
cipem Apostolorum. Series Episcopo-
rum in Sedibus Patriarchalibus O-
rientis et Occidentis, quicum Eccle-
sia Romana tanquam matre et ma-
gistra communicaverunt, incepit
a Petro, nec cessavit adhuc. Series
schismaticorum, Haereticorum
qui Ecclesiam Catholicam oppugna-
runt, ascendit ab aetate nostra usque
ad Simonem Magum qui a Petro et
Ecclesia defecit. Series Principum
qui Ecclesiam Catholicam persecuti
sunt, regreditur ab anno 1863 us-
que ad Neronem qui Petrum occi-
dit.

Ergo exstitit Ecclesia Catholica a Xto
ad Saeculum 19um. Nulla autem alia
Christiana societas et a Christo in-
cepit et ad nos usque pertingit.
Ergo .....

Prop. 9ª

Summa fide historica dignum est testimonium Ecclesiæ Catholicæ asserentis, traditam sibi esse a Filio Dei Jesu Christo per Apostolos totam doctrinam salutis, eamque contineri tum in Scripturis V. et N. Testamenti, tum in non-scriptis traditionibus.

Explico. Nomine Ecclesiæ Catholicæ intelligimus religiosam illam Societatem quæ in religione regitur auctoritate Episcoporum subordinatorum Romano Pontifici ut capiti.

Nomine traditionum intelligimus hoc loco dogmata, quæ nullibi in Scripturis V. aut N. T. consignata sunt, quamvis forte sint consignata in Litturgiis, aut scriptis S.S. Patrum, aut indicata per consuetudines Ecclesiæ, seu praxim, ut vocant.

Prob. 1º Ex uniformitate testimonii successiva et simultanea. Cum Ecclesia sæculi 19ⁱ profitetur se accepisse ab Apostolis doctrinam Jesu Xti, eo ipso affirmat hanc doctrinam esse sibi traditam a generatione immediate præcedente; huic traditam esse ab illa generatione quæ sursum versus secunda est; huic

traditam esse a tertia, et ita consequenter usque ad illam cui Christus ipse doctrinam suam tradidit.

Atqui in hoc testimonio nullus plane error possibilis est, ne in unica quidem Ecclesia particulari.

A) Nequit error accidere quoad eam testimonii partem quae affirmat generationem proxime antecedentem tradidisse et quotidie tradere in omnibus Ecclesiis particularibus praesentis generationis doctrinam quam ista profitetur: ita enim invicem implexae sunt diversae generationes, ut cum unaquaque libet generatione permixta adhuc vivat magna pars generationis proxime antecedentis, et cum hac iterum magna pars prioris, et ita regrediendo usque ad originem generis humani: nequit autem fieri ut praesens generatio ignoret aut dubitet, an magna illa pars generationis praecedentis quae cum hac permixta vivit, ei quotidie et ubique attestetur factum illud in Propositione nostra enuntiatum; quandoquidem haec attestatio con[illegible] tinet quotidianam et [illegible]

professionem fidei in quotidiano divino cultu, per omnes Ecclesias: non magis, inquam, potest in hoc quotidiano facto Ecclesia decipi, quam decipi possit numerosa familia circa quaestionem, an Parentes quotidie per viginti annos hanc illamve historiam liberis suis narraverint et discendam ab iis ac quotidie repetendam curaverint.

B) Neque potest Ecclesia errare quoad alteram testimonii partem quae dicit testimonium uniforme generationis proxime antecedentis ascendere uniformiter usque ad aetatem Apostolorum, et reapse non aliud esse quam ipsum Apostolorum testimonium repetitum quotidie per omnes aetates quae inde ad nostram usque fluxerunt. Perinde enim ubi praesens generatio certissime cognoscit quid proxime antecedens ipsi quotidie et publice attestatur, ita quoque ista quotidianum anterioris testimonium non potuit non percipere: similem autem certitudinem de testimonio uniformi anterioris generationis debemus unicuique generationi

tribuere, excepta solum illa in qua vixit Xtus cum Apostolis. Ergo inde a Xto usque ad nos singulae generationes summa cum certitudine cognoverunt, utrum testimonium generationis immediate praecedentis esset uniforme et summa fide dignum.

Jam vero si praesentem generationem nostram praecessit vel unica generatio quae testimonium praecedentis non invenerit uniforme, nec proinde summa fide dignum, non potuit inde ab illa ad nostram usque transmitti uniforme testimonium, quum nulla aetas possit transmittere id quod ipsa non habet. Est autem nobis reapse transmissum testimonium uniforme generationis proxime antecedentis; et transmissum ut summa fide dignum. Ergo nulla fuit inde a Xto generatio cujus testimonium a proxime subsequente non fuerit inventum et uniforme et summa fide dignum.

Prob. 2° Ex eo quod Ecclesia Catholica professa ac semper professa est, in rebus ad doctrinam salutis per-

tinentibus, nihil esse recipiendum ut verum, nisi quod semper et ubi=que traditum invenitur, traditione vel explicita vel implicita — Explicitam traditionem dicimus eam quæ rem de qua agitur exprimit; implicitam dicimus, quæ rem de qua agitur enuntiat, enuntiando præmissas unde necesfario ipsa consequitur.

Si enim Ecclesia hoc principium semper professa est, testimonium ejus circa veram religionem tam certum est, quam certum est id quod per 19 sæcula in omnibus per orbem terrarum Ecclesiis uniformiter traditum invenitur. Ergo quum talis traditio longe certissima sit, nisi omnem historicam certitudinem valere jubeamus, nil restat aliud quam ut ostendamus, prædictum principium in Ecclesia semper viguisse.

Sæculo 1º ipsi Apostoli hoc principium statuunt. 2ª Thessal. 2. "Itaque, fratres, state et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram". Et Cap. 3. "Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Dñi nos-

tri Jesu Christi ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis." Et ad Galat. 1° dicit: "praediximus vobis et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit." Joan. ep. 2 "Hoc est bonum mandatum ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis."

Textus 21. S. Irenaeus adversus Haereses lib. 1, c. 10. post propositam summam fidei Catholicae, sic prosequitur: "Acceptam ab Apostolis hanc praedicationem et fidem Ecclesia, tametsi per totum orbem sparsa, summo gaudio et cura, perinde atque unam domum incolens conservat, ac velut animam unam atque unum idemque cor habens, his aeque fidem accommodat, et miro consensu, quasi uno ore praedita, haec praedicat, docet ac tradit. Quamquam enim dispares inter se mundi linguae sunt, una tamen et eadem est traditionis vis. Ac neque hae quae in Germaniis sitae sunt Ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt, nec quae in Hispaniis aut Galliis, aut in Oriente aut in Egypto, aut in Africa, aut

in Mediterraneis orbis regionibus sedem
habent." Haec autem acceptatio traditi-
onis Apostolicae per universam Eccle-
siam, non est fortuita et accidentalis,
sed profecta ex principio isto quod le-
gitimae successioni Episcoporum adhae-
rentium sedi Romanae aut in ea se-
dentium promissum sit Charisma
veritatis. Nam

Lib. 4. Cap 26. ita loquitur: quaprop-
ter iis qui in Ecclesia sunt Presbyte-
ris (i.e. Episcopis) obedire oportet, his
qui habent successionem ab Apostolis,
sicut ostendimus, qui cum Episcopa-
tus successione Charisma veritatis cer-
tum, secundum beneplacitum Patris
acceperunt; reliquos vero qui absis-
tunt a principali succesione, et quo-
cunque loco colligunt, suspectos habere
vel quasi haereticos et malae senten-
tiae, vel quasi scindentes et elatos
et sibi placentes; aut rursus ut hy-
pocritas quaestus gratia et vanae glo-
riae hoc operantes. Omnes autem hi
deciderunt a veritate .... Ubi igitur
Charismata Domini posita sunt, ibi
discere oportet veritatem, apud quos est
ea quae est ab Apostolis Ecclesiae suc-
cessio.... Agnitio (γνῶσις) vera est

Apostolorum doctrina et antiquus Ecclesiae status in universo mundo, et character corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam quae in unoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt; quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione tractatio Scripturarum plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens, et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia".

Sed Criterium decisivum et compendiosum verae de religione doctrinae est conformitas cum doctrina illa quam Petri in Romana Ecclesia Successores sibi traditam testantur. Ita Lib. 3. C. 3. "Ad hanc enim (Romanam) Ecclesiam, propter potiorem principalitatem necesse est convenire omnes qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio".

Necessitatem consulendi traditionem extendit Irenaeus ad omnem de religione quaestionem. Ibid.

Cap. 4: Quid enim? Etsi de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias in quibus Apostoli conversati sunt et ab iis de praesenti quaestione sumere quod certum et re liquidum est?"

Vide etiam Clementis Alexand. Strom. lib. 6 et 7, nec non Tertulliani librum de Praescriptionibus et Origenis Praefationem in lib. 1. περὶ ἀρχῶν.

<u>Saeculo 3°</u> S. Cyprianus propugnat in libro de Unitate necessitatem conformitatis cum Episcopatu Catholico et centro unitatis ejus, Romana scil. Ecclesia. Hic autem Episcopatus est ipsum corpus pastorum docens, et doctrinam suam inde a X^to transmittens cuilibet succedenti generationi.

<u>Saeculo 4°</u> Patres Concilii Ariminensis contra Arianos ita decernunt: "Sic credimus placere omnibus posse Catholicis, a Symbolo accepto (scil. Niceno) nos recedere non oportere, quod in collatione apud omnes integrum recognovimus; nec a fide recessuros, quam per Prophetas a Deo Patre per X^tum D. N. nostrum, docente Spiritu

sancto et in Evangelio et in Apos-
tolis omnibus ...... est per tradi-
tionem Patrum ...... secundum
Apostolorum ...... ad tracta-
tum apud Nicaeam traditam contra
haeresim quae tum temporis exsur-
rexerat, positum nunc usque perma-
net: diximus quibus nec aliquid
addendum credimus, nec minus posse
manifestum est." Cui definitioni om-
nes in unum Catholici conspirantes
subscripserunt, ait S. Hilarius.

Vide S. Basilium libro de Spir. S.
Cap. 27 et 29, necnon S. Gregorium
Nazianzenum, apud Basilium lib. 1 con-
tra Eunomium.

S. Athanasius Epist. 1 ad Serapio-
nem contra Pneumatomachos: "Ve-
rumtamen haud absurdum fuerit
veterem semper traditionem doctri-
namque ac fidem Catholicae Ecclesiae
investigare, quam scil. Dnus tradi-
dit, Apostoli praedicaverunt, Patres con-
servarunt. Huic enim Ecclesia funda-
ta est, a qua si quis exciderit, nec
esse unquam Christianus, nec Christia-
nus ullo ratione poterit."

Saeculo 5º. Ad Nestorium Constan-
tinopolitanum S. Caelestinus Papa, hae-

scribit: " legimus Epistolarum teno=rem et eos libros quos illustri filio meo Antiocho reddente suscepimus. In his quidem investigatus, deprehensus et tentus es, quod multiloquio labaris.... Sed in Epistolis tuis apertam, non tam de fide nostra, quam de te tulisti sen=tentiam, volens de Deo Verbo aliter quam fides habet omnium dispu=tare." Et paulo post: " aperte igitur hanc scias esse nostram sententiam ut, nisi de Xto Deo nostro ea praedi=ces, quae Romana et Alexandrina et Universalis Ecclesia Catholica tenet, sicut et sancta Constantinopolitanae magnae urbis Ecclesia ad te usque optime tenuit, et hanc perfidam no=vitatem quae, hoc quod venerabilis Scriptura conjungit nititur separa=re, intra decimum diem a primo innotescentis tibi hujus conventio=nis die numerandum, aperta et scripta conventione damnaveris, ab universalis te Ecclesiae communio=ne dejectam."

Ut in Sess. 1. Concilii Ephesini producuntur testimonia Patrum qui ante Nestorium scripserunt. Idem hoc sensu, de Eutychiana hae=

resi scribens ad Marcianum Imp. S. Leo Papa, Epist. 62. sic ait: "et quum ab evangelica Apostolicaque Doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere, aut aliter de Scripturis divinis sapere quam Beati Apostoli et Patres nostri didicerunt atque docuerunt, nunc demum indisciplinatæ et impiæ quaestiones, quas olim mox ut eas per apta sibi corda diabolus excitavit, per discipulos veritatis Spiritus Sanctus extinxit."

Vide etiam Epistolam ejus 137 ad Leonem Augustum.

Sæculo 6°. Patres quintæ Synodi generalis, Constant.æ 2æ, in fine definitionum, ita concludunt: "quum igitur hæc ita recte confessi simus, quæ tradita nobis sunt tam a divinis Scripturis, quam a S.S. Patrum Doctrina, et ab his quæ definita sunt a prædictis sanctis quatuor Conciliis, etc..."

Sæculo 7°. In definitione contra Monothelytas, sexta Synodus generalis, Constant.æ 3ia sic habet: "Sancta et oecumenica Synodus fideliter suscipiens sanctissimi Papæ Agathonis relationem

ad maxime ipsum [illegible] Ro-
manum pontificem [illegible] con-
cilia autem [illegible] [illegible]
relationem [illegible] sub Leone Pa-
pa Synodi. [illegible] synodi quinque
Episcoporum, et quae continent
etiam synodi Chalcedonensis et Leo-
nis. Papae Leonis ad Flavianum
et cum synodicibus Cyrilli episto-
lis adversus doctrinam Nestorii
ad Episcopos [illegible], [illegible] tempus
oecumenicas quinque synodos, sanc-
tosque Patres, etc.".

Saeculo 8° In definitione contra
Iconoclastas, Synodus generalis
septima Nicaena 2a ita loquitur:
"Sic enim (i.e. hac modo prolata
definitione) robur obtinet sancto-
rum Patrum nostrorum doctrina,
id est traditio sanctae Catholicae
Ecclesiae, quae a finibus usque ad
fines terrae suscepit Evangelium.
Eos autem qui audent aliter sapere
aut docere, aut secundum sceleratos
haereticos Ecclesiasticas traditiones
spernere, et novitatem quamlibet ex-
cogitare .... siquidem Episcopi
fuerint aut Clerici deponi prae-
cipimus, monachos autem laicos

a communione segregari".
Saeculo 9º. Rejiciuntur novitates Claudii Taurinensis resuscitantis errores Vigilantii et Iconoclastarum.
Saeculo 11. Damnantur novitates Berengarii circa realem Praesentiam Christi in Eucharistia.
Saeculo 12º. Damnantur novitates Waldensium.
Saeculo 14º. Damnantur novitates Beguardorum necnon Wickleffi.
Saeculo 15º Damnantur novitates Hussitarum.
Saeculo 16º Damnantur novitates Lutheri et Calvini; et Concilii Tridentini contra eos Decreta etiamnum in pristino vigore sunt.

Dixi damnatas esse novitates: hoc enim praecise titulo damnatur quaepiam doctrina circa fidem aut mores quod asserit quidpiam Catholicis novum, inauditum ab Ecclesiae traditione alienum. Hinc etiam factum est, ut nulli unquam haeretico dederit Ecclesia facultatem, judicio ut vocant contradictorio doctrinam suam propositis rationibus confirmandi ac defendendi, quando doctrinae novitas jam erat. Judicia

liter declarata. Sed ante hanc declarationem judicialem potest ille qui nova docet, esse in bona fide quia ob rationes magis aut minus speciosas, potest doctrinæ suæ novitatem non percepisse. Et tunc, non ad judicium de doctrina, sed ad judicium de persona faciendum, audiuntur quandoque rationes ejus, ante judicium latum de doctrinæ novitate, sed nunquam postea, quia post hoc judicium nulla praesumi potest bona fides in contrarium.

Prob. 3ª. Prædictum testimonium Ecclesiæ Catholicae fundamentum est totius legis fidei et morum. Atqui certum est legem istam non potuisse imponi nisi plane perspicientibus veritatem fundamenti ejus. Ergo cum lex fidei et morum Orbi Catholico reapse imposita sit et maneat, debet veritas testimonii, cui lex ista ut fundamento innititur, tot nationibus et saeculis fuisse perspecta, quot nationibus et saeculis lex fidei et morum imposita fuit.

Prob. min 1ª. Lex fidei et morum nec suscipitur, nec impletur nisi a volentibus, quandoquidem nemo credit nisi volens, nemo morali-

ter bene agit nisi volens. Motivum autem volendi, vel est perspecta veritas testimonii Ecclesiae, vel temporale commodum independens a veritate istius testimonii. Atqui non commodum temporale hujusmodi:

Nam 1°) ad amplectendam legem fidei et morum Ecclesia nullo proposito malo aut bono temporali invitos urget aut allicit.

2°) Lex ista attingit actus omnes, affectus et cogitationes. Imponit ergo naturae jugum grave, perpetuum et universale.

3°) Lex ista unica est occasio persecutionum quam Ecclesia tam graves, tam diuturnas perperfert ac pertulit omnibus retro temporibus.

4°) Nihil est in hac lege quod vel uni cupiditati faveat.

Ergo restat ut nonnisi ex perspecta veritate testimonii Ecclesiae, tot gentes ejus legem susceperint ac teneant.

Prob. 4°. Si testimonium Ecclesiae Cathae rejicias, actum est de certitu

dine historica facti cujuscunque etiam gravissimi sive in historia religionis, sive in historia profana.

Et quidem quod attinet historiam religionis, caruerunt omni auctoritate historica, sectæ Acatholicæ omnes, ab illa ipsa die qua contenderunt notam sibi esse promulgatam a Christo religionem, absque auctoritate historica Ecclesiæ Catholicæ, i.e., absque testimonio coævo et non-interrupto. Sic enim everterunt totum criterium historicæ veritatis. Quid ergo concilia decreverint quid Patres docuerint, quibus in libris contineatur, veridica historia Veteris ac Novi Testamenti, non aliunde cognoscimus quam ex hodierno testimonio Ecclesiæ Cathæ. Profana autem historia nullius hominis res gestas, nullius imperii ortum, vicissitudines, interitum, eo genere testimonii confirmabit, quod antiquitate, diffusione et consensione, possit cum Ecclesiæ testimonio comparari.

Adde nullum esse eventum in ordine politico, circa cujus veritatem tanti intersit omnium non fal-

li, quanti semper interfuit generis humani non falli circa veritatem testimonii Ecclesiae.

Coroll. 1^m. Ad inveniendam veram Christi religionem, non aliare indigemus quam historica auctoritate Ecclesiae, perinde ut ad cognoscendam religionem Aegyptiorum, Graecorum, Sinensium, non indigemus nisi idoneo testimonio.

Ad concipiendam vero divinam fidem de iis quae Ecclesia testatur esse a Deo revelata, requiritur et sufficit ut cognoscam Ecclesiam esse constitutam a Deo testem semper veracem eorum quae Deus credenda revelavit: perinde enim est ad motivum et obligationem credendi, sive Deus per seipsum, sive per legatum, i.e., constitutum ab Eo testem authenticum mihi loquatur.

Cognosco autem divinam esse legationem Ecclesiae, quam primum percipio uniformitatem testimonii ejus tam constantem et late diffusam non esse ortam ex causis naturalibus, sed potius contra ordinem naturae; ac proinde mira-

culosa interventione divinæ Potentiæ. Hoc autem percipio considerando Probationis 3æ rationem 2m, 3m et 4m, nec non historiam originis ac diffusionis ejus absque ullo naturali adjumento et non obstante acerrima resistentia omnis humanæ potestatis.

Coroll. 2m. Sicut ante probatam auctoritatem historicam Ecclesiæ nullatenus constat nobis de historica auctoritate Scripturarum Veteris ac Novi Testamenti: sic e contrario, statuta semel auctoritate historica Ecclesiæ attestantis veracitatem librorum Veteris ac Novi Testamenti, nihil amplius superest præstandum ad stabiliendam horum librorum auctoritatem historicam.

Connexio cum sequentibus. Possent novem priores propositiones, posset imo 9a per se sola, ut in pleroumque hominum conversione fit, sufficere ad veram religionem inveniendam, si pravi affectus aut præjudicatæ opiniones hominem non averterent a consideratione eminentis auctoritatis quam Deus Ecclesiæ suæ contulit. Sed

aversatur hanc auctoritatem Judæus, nisi ostenderis eam Prophetis inniti non minus quam Apostolis, et Novum Testamentum esse Veteris, non eversionem, sed impletionem. Aversantur eam omnes Sectæ Christianæ, ut quæ erexerint se contra et supra Scripturas, et liberum in religione judicium inique sustulerit. Igitur ostendatur Judæo, Ecclesiam Christi esse illam ipsam Societatem quam Prophetæ a Deo instituendam prædixerunt: ostendatur sectariis tam invisam eis auctoritatem Ecclesiæ, esse Ecclesiæ ab Ipso Christo collatam, ab Apostolis eorumque per quinque priora sæcula Successoribus evidenter exercitam, et ex promissione Christi ad finem usque mundi substituram.

Prop. 10a.

In Scripturis Veteris Testamenti prænuntiat Deus, fore ut 1°) legatus divinus ille qui Messias, i.e. Christus vocatur instituat perpetuo duraturam Societatem conflatam ex Judæis et Gentibus

quacum Deus, 2°) abolito Sacerdotio ac foedere Mosaico, et novo Sacerdotio suffecto, ineat 3°) novum foedus in eo consistens, ut faciat eos perseveranter ambulare in mandatis suis.

Prob. 1ª Pars ex Psalmo 2° per totum in quo dicitur Messiam impositurum esse legem suam Gentibus, praedicaturum esse legem Domini in Monte Sion, accepturum esse gentes in hoereditatem suam, et in possessionem suam terminos terrae, frustra conspiraturos esse reges ac principes ut excutiant jugum ejus.

Ex Isaiae Cap. 2. Et erit in novissimis diebus proeparatus mons domus Domini in vertice montium et elevabitur super omnes colles, et fluent ad eum omnes gentes.

Et ibunt populi multi, et dicent: venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis Ejus: quia de Sion exivit lex et verbum Domini de Jerusalem.

Ex Isaiæ 49 v. 5. 6. Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur .... Et dixit: parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et faeces Israel convertendas: ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

Et v. 22. Hæc dicit Dominus Deus: ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum, et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. — V. 23. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.

Ex Isaiâ 55 v. 4. 5. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis, et gentes quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, et Sanctum Israel, quia glorificavit te.

Vide etiam Isaiæ 60, v. 3. et seq.

De perpetua duratione hujus socie=

50 tatis sub Messia Rege, testimonium invenimus, tum in Ps. 2, tum ex Ps. 88. a v. 30 usque ad 39.
Ex Dan. cap. 7. v. 13. 14. Et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis ..... Et dedit ei (Altissimus) potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur: et regnum ejus quod non corrumpetur.
Prob. 2a pars Dan. 9. v. 26. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo — Et v. 27: et in dimidio hebdomadis (70æ) deficiet hostia et sacrificium: et erit in Templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.
Malach. 1. v. 10. 11. Non est mihi voluntas in vobis, dicit D. minus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur Domini meo oblatio munda.
Psalmo 109. Messiæ filio David de

tribu Juda dicit Dominus: Tu es sa-
cerdos in æternum secundum ordinem
Melchisedech.

Prob. 3ª pars. Jeremiæ 31. v. 31. 32. 33.
Ecce dies venient, dicit Dominus, et
feriam domui Israël et domui Ju-
da fœdus novum: non secundum
pactum quod pepigi cum patribus
eorum, in die qua apprehendi ma-
num eorum, ut educerem eos de
terra Ægypti; pactum quod irritum
fecerunt, et ego dominatus sum eo-
rum, dicit Dominus. sed hoc erit pac-
tum quod feriam cum domo Israël
post dies illos, dicit Dominus: Dabo
legem meam in visceribus eorum,
et in corde eorum scribam eam, et
ero eis in Deum, et ipsi erunt
mihi in populum.... quia propi-
tiabor iniquitati eorum, et pec-
cati eorum non memorabor am-
plius.

Isaïæ 59, v. 19. 20. 21. Et timebunt
qui ab Occidente nomen Domini, et
qui ab Oriente gloriam ejus quum
venerit quasi fluvius violentus
quem Spiritus Domini cogit, et ve-
nerit Sion Redemptor, et eis qui re-
deunt ab iniquitate in Jacob, dicit

Dominus. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.

Ezech. 39. 25. 29. Nunc reducam captivitatem Jacob, et miserebor omni domui Israël. Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim Spiritum meum super omnem domum Israël.

Vide etiam cap. 36. et 37. ubi legimus v. 26. Et ~~perut~~ percutiam illis foedus pacis, pactum sempiternum erit eis: et fundabo eos et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.

Hoec Prophetarum loca promittunt Ecclesiae membra quae perpetuo ambulent in justitia, et designant totam multitudinem Electorum, quippe qui ab initio finalis Perseverantiae, perpetuo ambulant in justitia.

Prop. 11ª

Jesus Nazarenus professus est se

esse Christum prænuntiatum in Scripturis Veteris Testamenti, et 2°) hanc assertionem confirmavit miraculosis operibus, atque 3°) miraculosis prædictionibus.

Prob. 1ª pars ex Matth. 26, 63, 64 — ex Marci 16, 61, 62. — ex Joan. 4, 26. — 5, 18 usque ad finem. — 9, 37. — 10, 24. 25. — 11, 27. — 18, 33 usque ad 37. — 19, 12. — ex Lucæ 23, 42. — 24, 26.

Prob. 2ª Pars ex Marci 2. ubi agitur de Paralytico — ex Joannis 9. ubi de Cœco nato — ex Joan. 9. ubi de Lazaro — ex Resurrectione Jesu — ex ejus ascensione — ex Missione Sp. S. in die Pentecostes.

Prob. 3ª pars. Prædicit proditionem Judæ Joan. 6. 71. 72 — 13, 21. 26. Negationem Petri 13, 38. — Passionem suam Matth. 20, 17. 18. 19. Resurrectionem suam Matth. 20, 19. — 27, 63. 64. Missionem Spiritus S[ti], Luc. 24, 49 — act. 1, 8. — Miracula ab Apostolis ac fidelibus patranda, Marc. 16, 17. 18. — quibus adde miracula consignata in Actibus. — Eversionem Jerosolymorum propter rejectum Jesum X[m]. Luc. 19, 41 — 44. — 21, 6. 20 - 24.

Connexio cum seq. Ut ostendatur Judaeis Jesum Nazarenum ea praestitisse, quae a Christo praestanda Prophetae promiserunt, oportet jam ostendere institutam esse a Jesu .. iz. Societatem seu Ecclesiam, quacum Prophetae a Christo instituendam praedixerunt. Quod ut efficiamus, nitemur auctoritati historicae librorum Novi Testamenti, non .. ius ac Veteris: Judaei vero istorum auctoritatem admittunt, illorum rejiciunt. Sed frustra id faciunt. Quum enim auctoritatem historicam Librorum Vet. Test. nec ipsi Judaei aliunde quam ex per.. ua Traditione cognoscant, et pro libris Novi Test. perpetua quoque Traditio militet, debent Judaei auctoritatem historicam vel utriorumque admittere, vel utro.. que rejicere. Si prius: aequum erit ut nobis aurem praebeant: si posterius, nihil erit quod nobis e scripturis objiciant.

Christianis autem sectis ostendemus quam et qualem Ecclesiam Christus instituerit, ut ex ejus natura et proprietatibus intelligant

non esse apud ipsas veram Christi ecclesiam.

Prop. 12ª

Jesus X^us instituit corpus Pastorum, quibus contulit potestatem et officium docendi omnes indiscriminatim omnium temporum gentes, necnon ministrandi eis Sacramenta, easque regendi.

Explico. Dicimus, Pastorum corpus, i.e. coetum Pastorum ita colligatorum inter se ut constituant coetum individuum, ab omni alio distinctum. Quomodo autem inter se colligentur, videbimus in Prop. 14ª. Nunc vero satis erit probare institutos esse Pastores, quos volumus in antecessum non considerari ut independentes ab invicem, sed duntaxat ut Pastores.

Dicimus potestatem, scil. coactivam, adeoque divinam, ut in decursu probationis ostendetur. Et hoc modo distinguitur Potestas Pastorum a potestate eorum qui Pastores non sunt.

Dicimus docendi omnes indiscriminatim gentes ut significe-

mus missionem Pastorum nullis in mundo limitibus esse adstrictam, perinde ut nullis adstringitur in tempore.

Dicimus, easque regendi, ut indicemus potestatem coactivam in docendo ac ministrando.

Prob. 1ᵐ Dedit Christus Apostolis divinam suam docendi potestatem. Matth. 28. Data est mihi omnis Potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes..., docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.

Marci 16. Et novissime recumbentibus illis undecim apparuit... ...et dixit eis: euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.... qui vero non crediderit, condemnabitur.

Act. 1. Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae.

Act. 10. Et nos testes sumus omnium quae fecit in regione Judaeorum et Jerusalem ... hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum ma-

manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis, et præcepit nobis prædicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.

Vide etiam Galat. 1, 11-18.

Et exercent Apostoli hanc potestatem, ut muniti irrecusabili signo divinæ legationis, exigentes obedientiam intellectus, perinde ut Christo loquenti omnis homo credere tenetur.

Nam Paulus ad Gal. 1. denuntiat Anathema iis qui Paulo prædicanti non crediderint. Et 2. Corinth. 5. «Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.» Vide et Eph. 6, 20.

Et 1. Thessal. 2. «Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam quum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei».

Et ad Eph. 2. fundamentum fidei Christianæ, i.e. divinæ, dicit

mini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. v. 20. Non enim vos estis qui loquimini sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis."

Et ratio a priori, cur nulla humana auctoritas possit, non dico legitime, sed ne quidem cum bona illa fide quæ fundetur in inculpabili ignorantia, rejicere missos a Xto Pastores, in eo posita est, quod Pastores Ecclesiæ divinam Missionem suam semper poterunt probare vel miraculis quæ ipsi patrabunt, vel successione apostolica, inchoata miraculis Christi et Apostolorum, et cujus ipsa duratio quotidianum miraculum est. Vide in horum confirmationem Marci 16, 17. 18. 20., et in actis Apostolorum, quomodo Apostoli divinam missionem suam probent, c. 2. – c. 3. etc.

Denique advertendum est, ex Institutione Christi, Ecclesiam semper fore quavis ætate tam late diffusam ut om-

nes quarumlibet gentium Electos fide Christiana imbuat et salvet.

Nam sine Christiana fide nemo salvatur. Joan. 3. "Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium Suum Unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei. — act. 4. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri." Et ad Rom. 10. "Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?"
Vide etiam Ephes. 4, 12.

quam Diaconissarum.
c) Quoad inflictionem pœnarum: (1. Corinth. 5, 3—5.)
d) Quoad adhortationem et correptionem quotidianam populi Christiani, in rebus fidei et morum, ut videre est passim in Epistolis ad Timoth. et Titum.
Prob. 4m. scil. semper existet Collegium apostolicum illud quod Christus Matth. 28. et Matth. 18. alloquebatur, i.e. semper existet corpus Pastorum apostolicum præditum triplici potestate docendi, ministrandi, regendi.
Dicit enim Christus Matth. 28. « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos ..... Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Ergo etiam semper existit corpus illud Pastorum, quocum Christus semper futurus est. —
Prob. 5m., scil. corpus Pastorum habet quavis ætate mundi potestatem et officium docendi omnes indiscriminatim gentes; i.e. eas omnes ad quas aditum Providentia concesserit; omnes

ergo, quantum in Pastoribus est.
Nam mittit Pastores Christus ex plenitudine potestatis quae data est ei in cælo et in terra: ergo potestati pastorum nullum jus naturale aut humanum oppositum esse potest.
Synagogae Principibus prædicationem Apostolicam interdicentibus, respondent Petrus et Joannes: « Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, ipsi judicate. Non enim possumus, quae vidimus et audivimus non loqui."
Praemonet eos Christus, Matt. 10, 17. 18. " Tradent enim vos in Conciliis, et in Synagogis suis flagellabunt vos; et ad praesides, et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus".
Verum dum Principibus resistent apostoli, habebunt Spiritum Sanctum sibi assistentem, atque ipsa, quibus utentur, verba dictantem: v. 19. " Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loqu

esse Apostolorum praedicationem non secus ac Prophetarum: "Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu."

Et Act. 15 in quaestione tam dogmatica quam disciplinari pronunciant Apostoli: "Visum est Spiritui Sancto et nobis." Et jam dixerat ipse Christus, Luc. 10: "Qui vos audit me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me."

Et Joannes Ep. 2. "Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis."

Prob. 2ª Dedit Christus Dominus Apostolis suam in sacramentis administrandis Potestatem.

Matth. 28. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine P. et F. et Sp. S.

Joan. 20. "Sicut misit me Pater et Ego mitto vos .... accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, reten-

ta sunt."

Lucae 22. "Hoc facite in meam commemorationem."

Act. 8. "Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum."

2. Timoth. 1. "Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum". Et 1. Timoth. 4, 14.

Prob. 3m. Suam regendi Potestatem Christus Apostolis dedit.

a) quoad potestatem legislativam ut videmus ex Matth. 18, 18. "Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo."

Et Act. 15. exercent apostoli hanc potestatem.

b) quoad delegationem potestatis, per institutionem Episcoporum 1. Timoth. 4, 14.— 2. Timoth. 1, 6.— ad Tit. 1, 5.— Per institutionem Presbyterorum, et facultatem eos judicandi. (2. Tim. 5, 19) — Diaconorum: act. 6. — Viduarum, tan-

Jam vero nequit concipi fides Christiana nisi ab iis qui audiunt verbum Christi; verbum autem Christi non auditur nisi ex ore legatorum ejus. Sic enim prosequitur Apostolus loco citato Rom. 10. "Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur".
Itaque Pastorum praedicatio debet toto orbe diffundi eo sensu, quod in quacunque parte orbis pertingat ad electos qui ibi salvandi sunt. Unde quam late diffunditur in orbe terrarum numerus electorum eodem tempore viventium, tam late diffunditur praedicatio Pastorum diffusione simultanea.

Hanc diffusionem Ecclesiae Christus significat Matth. 13. ubi regnum coelorum, i.e., Ecclesiam comparat agro in quo sunt bonum semen et zizania, agrum autem interpretabatur esse mundum, bonum semen esse electos,

qui post messem, i.e. consummationem saeculi, separati erunt a filiis nequam et fulgebunt in regno Patris sui. Hinc enim sequitur, ut quum bonum semen non sit nisi in agro illo qui totum mundum complectitur, ipse quoque ager intelligatur omnem bonum in quo aliquod bonum semen est, ambitu suo complecti.

Hanc diffusionem jam attigerat ecclesia ante mortem Apostolorum, teste Apostolo ad Rom. 1. 8; et 10. 18;, et ad Coloss. 1. 6. — Eandem Ecclesiam toto mundo diffusionem de sua cujusque aetate testantur Iren. contra Haereses lib. 1. cap 3. — Tertullianus contra Judaeos cap. 3. — Cyprianus, Libro de Unitate — Athanasius, Libro de Humanitate Christi — Chrysostomus et Hieronymus, Comment. in cap. Matth. 24. — Augustinus Ep. 78. et 80. ad Hesychium. — Leo Magnus in Serm. de SS. Petro et Paulo. — Prosper, lib. de Ingratis:

Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris
Facta caput mundo quidquid non possidet armis,

Religione tenet.

Coroll. 1m. Ex Prop. 12a. sequitur collegium illud Apostolicum de quo sermo est Matth. 28. et Marci 16. habiturum esse in triplici Potestate ei collata, Successorum seriem non interruptam usque ad consummationem saeculi.

Nam ex verbis Chi. Matth. 28. Collegium Apostolicum existet omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Non existet autem perpetuo in individuis qui tunc componebant Collegium Apostolicum. Ergo Collegium Apostolicum perpetuam existentiam habebit in Successorum serie perpetua. Unde

Coroll. 2m. Non habet fidem divinam, nec est Ecclesia Christi Societas illa omnis quae oritur post praedicationem Apostolicam, i. e. quae Apostolicae Ecclesiae non est continuatio, sed ab eadem separatio.

Non habet, inquam, fidem divinam, quae concipi nequit nisi ex verbo Christi, tale autem non est, post Christi ascensionem, nisi

Verbum Pastorum quos ipse misit; ergo quum nova post Apostolicos seu divinitus missos Pastores Societas ideo sit nova quia dissidet ab omni serie Pastorum praecedente, dissidet nova Societas a Pastoribus Apostolicis, adeoque Verbum Christi vel non habet omnino, vel non aliter quam deliberate rejectum quoad aliquid, admissum quoad aliud: quod utrumque cum divina fide consistere nequit.

Dicimus quoque, talem Societatem non esse Ecclesiam Christi. Sequitur hoc primum ex eo quod talis Societas, utpote rejiciens aliquid de doctrina Legatorum Christi, poni debet in numero eorum qui non possunt recipi in Ecclesiam Christi, utpote non credentes, nec proinde in ea manere, si in ea ante fuerint: pertinet haec Societas ad eos quibus Apostolus dicit anathema.

Sed praeterea etiam ex hac ratione. Non est Ecclesia Christi illa quae non habet Pastores a Christo institutos: his enim solis dat Christus divinam in docendo auctorita-

tem, sine qua non esset divina fides populorum qui Ecclesiae aggregantur: his solis dat Christus potestatem sacramenta legitime ministrandi. Pertinet autem ad essentiam Ecclesiae Christianae divina fides in Christum et legitimus sacramentorum usus, uti nobis concedunt confessiones fidei Protestantium eo tempore quo Protestantismus non erat mera negatio fidei Catholicae.

Atqui Pastores Apostolici non sunt nisi illi quorum successio absque interruptione ascendit usque ad Christum, aut, quod eodem redit, quorum series progreditur a Christo usque ad finem mundi absque interruptione. Ergo quum omnis secta quae post Apostolicam praedicationem nova exoritur, non habeat Pastores antiquiores ipsa, quorum successio non interrupta ad Christum usque referatur, omnis ejusmodi secta, eo ipso quod nova est, Ecclesia Christi non est. Vide hic Hist. des Variations. l.15.

Coroll. 3um Non est Ecclesia Christi societas illa quae aut α) Pastores non habeat, aut non tales β) qui attribuant sibi potestatem coactivam, aut

γ) qui eam sibi quidem attribuunt, sed aliunde quam ex Apostolica successione.

Coroll. 4^m. Non est Ecclesia Christi ea societas, cujus Pastores profitentur suam in docendo aut ministrando potestatem pendere a potestate saeculari.

Ratio prima est quod potestatem conferendi sacramenta quae supernaturalem effectum producant, nec natura, nec hominum consensus Principi confert; et Christi in docenda religione Legatum, non hominum sed solius Christi libera voluntas constituit.

Altera ratio est, quod si Missio Pastorum penderet a voluntate Principum, nec ipsa Ecclesia nasci potuisset, nec possent Pastores omnibus indiscriminatim gentibus fidem praedicare, Principibus etiam invitis.

Prop. 13ª

Corpori Pastorum praefecit Christus Petrum et successores ejus, tanquam centrum necessarium unitatis in Doctrina, Ministerio et

Regimine. —

Praenotandum. In omni societate inaequali, quae scilicet componitur ex imperantibus et subditis, duplex invenitur forma, altera interna, altera externa. Interna et invisibilis in se ipsa, quamvis visibilis ratione actuum externorum qui ab ea procedunt, est in singulis membris voluntas assequendi proprium cujusque bonum per cöoperationem in procurando Bono communi, Bono Societatis. Externa forma est externa co-operatio ad Bonum commune juxta directionem datam a Potestate quae imperat Societati. Sic in Ecclesia, forma interna membrorum est voluntas propriam salutem assequendi, et hunc in finem co-operandi in ad commune Ecclesiae Bonum, Unitatem scilicet in professione Christianae Fidei atque Dilectionis. Externa forma est Christianae Fidei atque Dilectionis professio uniformis, quae est Ecclesiasticae Societatis Bonum ac Finis proximus.

Mittit enim Christus Apostolos ut doceant omnes gentes servare omnia quaecunque Christus Apo-

stolis mandavit, adeoque est omnium gentium agendorum et credendorum professio. Hic nimirum finis proximus est ad quem Christus in hunc mundum venit, ut patet ex Joan. 17. – Hinc est quod Christus caput est Ecclesiae, et Ecclesia corpus Christi est, Eph. 1, 22.23. – ibid 4, 4.12. – Coloss. 1, 24. – Hinc unus Spiritus Christi totam Ecclesiam vivificans, 1, Cor. 12, 11. 12. unus Dominus, una fides, unum baptisma, Eph. 4, 5. Ut autem hanc Unitatem Pastores efficerent, oportuit primum Pastores ipsos inter se uniri tali modo ut legitima Unitas eorum ab illegitima, et verus quilibet Pastor a quolibet falso discerneretur. Christus ergo hanc Pastorum adeoque totius Ecclesiae Unitatem effecturus, unum constituit Apostolum, quocum, ut ait Irenaeus, omnem oporteat convenire Ecclesiam, id est, eos qui sunt undique fideles: nimirum, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, ait Hieronymus, lib. 1. contra Jovin. Illum autem quocum omnes Pastores et Ecclesiae convenire, cui obedire tenentur, eum vocamus centrum

Catholicae Unitatis in doctrina, ministerio atque regimine, et dicimus

Hoc Centrum Catholicae Unitatis constitutum esse Petrum Apostolum.

<u>Prob.</u> α, Christus Ecclesiam suam perpetuo duraturum, aedificat super Petrum. Ergo membra Ecclesiae eatenus et tamdiu membra sunt Ecclesiae, quatenus et quamdiu conjuncta sunt cum Petro ut fundamento Ecclesiae.

β, Atqui Petrus non est fundamentum perpetuo substiturae, nisi ratione Potestatis sibi collatae, et a successoribus ejus perpetuo exercendae in docendo, ministrando, regendo. Ergo necessitas conjunctio-cum Petro, est perpetua necessitas obediendi Potestati ejus. Ergo est ipse centrum Catholicae Unitatis etc.

prob. α, Matth. 16. "Et ego dico tibi, quia tu es Petrus ~~et~~ (graeca πέτρος aequivalens voci πετρα, Syriace et Chaldaïce Kepha, Petra, ex Hebraeo כֵּף Petra), et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: et portae inferi non praevalebunt adversus eam."

Ubi primo manifestum est pronomen <u>hanc</u> referri ad nomen quod

proxime antecedit: hoc autem nomen est Petrus; ergo per verba super hanc petram designatus est Petrus; praesertim quum Christus Syriace loquens in utroque dixerit Kepha, adeoque Syriace perinde fuerit ac si dixisset, tu es Petra, et super hanc petram aedificabo etc; unde quum utrobique eadem fuerit significatio, debet pronomen hanc juxta regulam Latini sermonis referri ad nomen Petrus proxime antecedens.

Deinde si Petra non designet Petrum, sed Christum, ut adversarii volunt, sensus erit: vocaris tu quidem Petrus, i.e. Petra: sed Ecclesiam meam aedificabo super memetipsum, et non super te, qui de Petra nihil habes nisi nomen. Non congruit autem, imo aperte pugnat hic sensus cum verbis subsequentibus, "Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque solveris ~~in~~ super terram etc, explicite significant supremam potestatem illam, quae in metaphora Petrae seu fundamenti, jam significata erat, sed minus explicite.

prob. β) Petrus ut fundamentum Ecclesiae, illa Persona est cui neces-

tario debes conjungi, ut incipias esse membrum Ecclesiae, et per quam debet omnis Ecclesiae pars sustentari, ne decidat e compage illius aedificii quod vocatur Ecclesia. Atqui persona illa cui quum conjungeris, incipis esse de Societate Ecclesiastica, et a qua si disjungaris, excidis e compage sociali, non est nisi persona quae supremam habet potestatem admittendi ad Societatem Ecclesiasticam, atque ab ea excludendi. Ergo Petrus fundamentum est Ecclesiae ratione supremae Potestatis sibi collatae circa functiones Ecclesiae proprias docendi fidem, ministrandi sacramenta atque regendi.

Confirmatur haec consequentia ex iis quae Christus Matth. 16, 19. subjungit ad explicandam Potestatem quam Petro ut fundamento Ecclesiae collaturus est. Ait enim: "Et tibi dabo claves regni coelorum, i.e. in hanc Domum, in hoc Templum, in hoc regnum coelorum quod super Te erecturus sum, nemo ingredietur nisi Te aperiente, et nemo inde excludetur, nisi Te claudente. Hujus autem Domus, Templi, Civitatis, Regni Coelorum seu Ecclesiae militantis supremum

regimen et administrationem Tu ha-bis, ita ut quodcunque Tu in terris existens ligaveris, i.e. vetueris, interdixeris, hoc idem et in coelis vetitum, interdictum sit, i.e. ligatum; et vicissim quodcunque solveris super terram, i.e. concesseris aut licitum declaraveris, hoc idem et in coelis pro licito aut rite concesso habeatur. Sed hoc non sufficit.

Nam Ecclesia perpetua etiam perpetuum habet fundamentum suum. Ergo si fundamentum Ecclesiae perpetuae sit Petrus ut exercens supremam in Ecclesia potestatem, debet hoc exercitium tamdiu subsistere quamdiu subsistet Ecclesia, quae huic exercitio potestatis Petri ut fundamento suo innititur.

Ecclesiam autem Christi perpetuo substituram esse, habemus non solum ex Matth. 28, 20., sed etiam ex hoc ipso loco ubi dicitur: et portae Inferi non praevalebunt adversus eam. Adde Matth. 13. in Parabola de Zizaniis et Ephes. 4, 12. 13., et 2 Thessal. 4, 15. 16., et Matth. 24. et 25.

Coroll. Videmus ex modo dictis potestatem docendi, ministrandi, regendi, conferri ... long[e] aliter quam ...

toris Apostolis. Quamvis triplex ista potestas conferatur singulis Apostolis plena, et quidem in totum orbem terrarum, non tamen inde fit ut eorum potestas debeat ut est plena et universalis transire ad Episcopos quos singuli Apostoli sibi substituerint. Et revera nullus, praeter Petrum, Apostolus reliquit successori suo potestatem plenam et universalem. Cujus facti non alia ratio est, quam quod ratio fundamenti totius Societatis Ecclesiasticae postulat potestatem non solum plenam et universalem, sed etiam perpetuo transmittendam in hac plenitudine et universalitate. Porro noverant Apostoli fundamentum Ecclesiae visibile non aliud collocatum a Christo esse quam Petrum. Itaque noverant potestatem universalem Petri transmittendam esse in perpetuum in tota plenitudine et universalitate sua successoribus; sciebant quoque non debere esse in Societate quacunque potestates universales duas, quia non revelaverat eis Christus fore ut omnibus successoribus Apostolorum, seorsim sumptis, tribueret inerrantiam quam seorsim Apostolis tribuerat, ad primo

disseminandum Evanaelium in toto orbe. Prima quippe ista disseminatio Evangelii omnino exigebat ut miraculis praedicationem suam Apostoli confirmarent; et cum dono miraculorum in ordine ad praedicationem confirmandam, nequit inerrantia non esse connexa. Ad instructionem vero aetatum subsequentium satis erat Traditio co-aeva et non-interrupta et miraculis inchoata. Poterant ergo, spectata institutione Christi, singuli Apostolorum successores seorsim sumpti, a recta praedicatione, aut regimine, aut ministerio deflectere.

Necessarium ergo fuit institui a Christo aliquam potestatem quae fundamentalis esset, id est, quae Pastores perpetuo intra limites rectae praedicationis, rectae administrationis sacramentorum, ac recti regiminis contineret. Itaque soli Petro triplex illa Potestas ita collata fuit, ut perpetuo staret ac vigeret, tum in sua plenitudine, tum in sua universalitate locali, [illegible] Ecclesiasticae functionis, firma et immobilis. Plenitudo [illegible]

versalitas Potestatis fuit in caeteris extraordinaria, in Petro ordinaria: quia in illis per mortem desitura, quia propter se in Ecclesia fuerat; in Petro vero tam indeficiens ac Ecclesia ipsa quae ideo numquam deficiet, quia numquam deficiet fundamentum ejus, quod est Petrus.

Probationem ex Traditione afferemus ubi agetur de Successoribus Sancti Petri (Prop. 16).

Prop. 14ª

Corpori Pastorum composito ex Petro et Pastoribus ei subordinatis promisit Christus perfectam efficaciam ad promovendam apud quascumque gentes Unitatem in Fide et Disciplina Christiana; et consequenter promisit ipsi Infallibilitatem.

Prob. 1ª pars. Matth. 28. Promisit Christus efficaciam et perfectam assistentiam Apostolis docentibus omnes gentes servare omnia quaecumque Christus mandavit eis. Ergo Apostolica praedicatio efficiet in omnibus gentibus id ad quod ordinatur a Christo, scilicet Unitatem in Fi-

de et Dilectione Christiana.

Apostoli autem docebunt omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, tum per seipsos, tum per successores suos; ergo quum corpus Pastorum a Christo institutum componatur ex Apostolis et successoribus eorum Corpori Pastorum etc.

Probatur 1a consequentia. Mandavit Christus Unitatem in fide, uti jam antea vidimus: mandavit et Unitatem in dilectione, tum quando dixit Matth. 16. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus*; tum quando dixit Joan. 15. *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; et Matt. 22, 35-40. Ergo argumentum in debita forma

Restat ut probetur antecedens. Probatur autem ex verbis Christi: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad Consummationem saeculi*. His enim verbis promittitur efficax assistentia ad Opus ad quod perficiendum Apostoli a Christo delegantur, id est, Christus in Apostolis

docentibus docet, in ministrantibus ministrat, in regentibus regit, et cum ipsis est adjutor ad effectum doctrinae, ministerii, et regiminis producendum, qualis secundum divinam praedestinationem producendus est ad salutem Electorum, et Ecclesiae perpetuitatem, atque universalem diffusionem.

Etenim hisce verbis, et ecce Ego vobiscum sum etc., promittit Christus perpetuum auxilium suum et efficax, aeque clare ac promiserat illud Gedeoni, quum dixit ei. Ego ero tecum, et percuties Madian sicut virum unum. Iud. 6 – Hoc eodem sensu dicit David: nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Psal. 22 – Sic etiam Isaiae 43, 2. legimus: Quum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te; quum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. Et Cap. 8, 10. Congregamini populi et vincimini .... accingite vos et vincimini. Inite consilium et dissipabitur: Loquimini verbum et non fiet: quia nobiscum Deus.

et pro per seipsam manifesta est. Vel enim his verbis significat Christus effecturum se ut removeantur obstacula quae impedirent ne ministerium Apostolicum attingat finem ad quem institutum est: vel Christus non dedit verbis suis hunc sensum. In priori casu, vera est Propositio nostra: in altero casu, Christus verbis usus fuisset quae aliud indicarent, quam id quod vellet exprimere.

Huic pertinent verba Christi Matth. 16. Et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae Inferi non praevalebunt adversus eam. Id est, tantam dabit Ecclesiae firmitatem Petra super quam Ecclesia fundata est, ut portae inferi, i.e. Princeps hujus mundi Diabolus cum angelis suis, de quo vide Ioan. 12, 31 – 14, 30 – 16, 11. et 2. Petri 2, 4. et 1. Petri 5, 8. et 1. Ioan. 3, 8. et Apocalyps. 2, 10 — 12, 9. 12 — non sit erepturus Ecclesiae Christi eam Unitatem in fide et dilectione, sine qua nullus grex Pastori suo adhaeret, sine qua nemo salvatur.

Huc etiam pertinet Parabola de Zizaniis. Matth. 13. ubi videmus ex-

tinorum in Ecclesia bonum semen, id est, Electos usque ad finem mundi. Atqui electos non salvabit nisi vera fides atque dilectio. Ergo etc.

Huc pertinet Oratio Christi Ioan. 17. "Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et Ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti." Omnis autem oratio Christi efficaciter impetrat effectum quem postulat, juxta illud Ioan. 11, 42. <u>Ego autem sciebam quia semper me audis</u>. Ergo vi hujus orationis semper existet multitudo Fidelium quorum Unitas sit Mundo nondum credenti visibilis, et ad persuadendum ita efficax, ut Mundum reapse pertrahat ad Fidem. Non perciperet autem Mundus Veritatem Fidei, nisi videret hominum in ejus professione Unitatem; nec confideret in vi sanctificante hujus Fidei, nisi videret Fidelium supernaturalem esse in Dilectione Unitatem, juxta illud Christi. <u>In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem</u>

habueritis ad invicem. Joan. 13.

Accedit et locus Eph. 4. ubi Apostolus explicat quibus instrumentis utatur Christus ad efficiendam in Ecclesia unitatem Fidei et Charitatis. Dicit nimirum: "Et Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, in verum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli, fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris: Veritatem autem facientes crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate." Vide etiam Coloss. 2. et 1. Corinth. 12. et Rom. 12.

Ubi advertendum est, Prophetas

hic dici eos qui ex divina revelatione aut futura praedicunt, aut abscondita in Scripturis mysteria penetrant, ut videre est 1. Corinth. 14 – Act. 11, 13. 15, 21. Evangelistas autem vocat eos qui ab Apostolis aut Pastoribus adhibebantur adjutores in praedicatione. Hujusmodi erant Stephanus et Philippus diaconi. Act 21. Talis erat Apollo, ac forte etiam Priscilla et Aquila. – Doctores vocat eosdem ac Pastores, quia Pastorum proprium ac praecipuum munus est gregem verbo pascere. Prophetas et Evangelistas in obeundo munere suo dirigere, Apostolorum et Pastorum erat.

Igitur videmus in adducto loco, 1°) Apostolos et Pastores, a quibus coetera omnia ministeria gubernantur, esse Ecclesiae a Christo datos ad consummationem Sanctorum: non consummentur autem Sancti, nisi per Unitatem in fide ac dilectione.

Videmus 2°) Apostolos et Pastores esse datos in aedificationem corporis Christi, i.e. ut homines Christo ut Capiti suo conjungantur, tanquam palmites viti suae: non est autem in corpore Christi palmes vivus

is qui non habet Spiritum Christi Rom. 8. 19; non habet autem hunc Spiritum quisquam extra Unitatem fidei atque dilectionis, tum quia Christianorum ut unus est Dominus et unum baptisma, ita quoque una fides est; tum quia is qui non diligit, manet in morte (Ephes. 4, 4. 5 — 1. Ioan. 3, 14)

Videmus 3°) hoc ministerium Apostolorum et Pastorum substitutum esse donec omnes qui ad vitam aeternam perventuri sumus, occurramus invicem ex infidelitate in Unitatem fidei: ergo haec Unitas fidei sustentabitur usque ad finem mundi, et quidem ministerio Apostolorum et Pastorum.

Videmus 4°) ministerium Pastorum esse consequenter institutum ad excludendam instabilitatem, fluctuationem in fide: nam istam consequentiam Apostolus explicite memorat docens: ut jam non simus parvuli, fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum etc.

Videmus 5.°) per ministerium Pastorum effici, ut Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per

omnia, qui est Caput Christus: ut sicut semper nova aggregantur Ecclesiae membra, ita et semper fiat eorum in charitate incrementum, usque ad virum perfectum: ergo per ministerium Pastorum semper est in Ecclesia charitas aut crescens aut perfecta, nimirum in semine bono (Matth. 13.); in piscibus bonis (ibid.); quorum charitas quum vera sit et efficax, nequit externe non manifestari.

Unde concludes ex hucusque dictis, per ministerium Pastorum semper effici in Fide et Dilectione Unitatem internam et externam: in bonis quidem utramque, in malis vero, dum auctoritati Pastorum non resistunt exterius, externam Unitatem facit vel cum vel absque Unitate interna imperfecta, prout internam fidem vel habent, vel non habent.

Prob. 2ª Pars, scil. promissam esse corpori Pastorum perpetuam Infallibilitatem.

1º Vidimus in Prop. 12ª Pastores a Christo institutos semper habituros esse Ius docendi omnes gentes: jam vero non habebunt hoc jus, si quando falsum doceant; ergo nunquam e-

veniet ut falsum doceant.

2°. Vidimus etiam in Prop. 12ª. Corpus Pastorum semper habiturum esse ipsius Christi in docendo Potestatem, ut Legatum ejus, ut Testem ab eo constitutum cujus verbum sit ipsius Dei verbum; cujus auctoritas nunquam rejici potest, quin simul rejiciatur auctoritas Christi, et cujus praedicationi debetur obsequium intellectus ita certum ut possint Pastores anathema dicere omnibus iis qui a suscepta Pastorum doctrina defecerint. Atqui dotes et jura hujusmodi connotant Infallibilitatem sic intellectam, ut stante Veritate Promissionum Christi, nunquam eventurum sit ut Corpus Pastorum falsum doceat.

3°. Vidimus in 1ª parte hujus Prop. 14ªᵉ Corpus Pastorum semper effecturum esse ut existat coetus hominum unanimiter profitentium veram ac totam doctrinam Christi: unde etiam vocatur Ecclesia columna et firmamentum Veritatis (2. Tim. 3, 15.). Atqui hic ipse est conceptus Infallibilitatis. Ergo etc.

Coroll. 1ᵐ Quum Unitas in aeterna saltem Dilectione, sit conditio

necessaria ad participationem Sacramentorum, et vicissim usus Sacramentorum sit conditio necessaria ad manifestandam externam dilectionem membrorum Ecclesiae, qua talium, sequitur ut externa Unitas in Dilectione Christiana connotet participationem eorundem Sacramentorum, et haec participatio connotet externam, imo et internam dilectionem, praeterquam in hypocritis.

Coroll. 2um Ecclesia Christi semper Una est 1°) Unitate communionis cum Petro et Successoribus ejus, per submissionem erga Potestatem ejus ut Fundamenti Ecclesiae; 2°) Unitate professionis Fidei; 3°) Eorundem Sacramentorum participatione. Et sicut haec triplex Unitas visibilis est, nec promissa fuit nisi veræ Ecclesiae Christi: ita per hanc triplicem Unitatem Vera Ecclesia semper visibilis est ut Vera Ecclesia Christi, ea visibilitate quae dicit evidentiam credibilitatis, non vero evidentiam veritatis.

Justorum autem Unitas interna cum Christo, licet non sit in se visibilis, non facit duas esse Ecclesias, unam invisibilem, alteram visibilem,

veteres Protestantes volebant, quia eadem illa membra quorum invisibilis est justitia, constituunt etiam Ecclesiam visibilem, dum visibiliter obediunt potestati Potestati Pastorum: quod nisi facerent, Justi non essent.

Coroll. 3m Ecclesia Christi semper Sancta est quia Christus Caput ejus est Sanctus Sanctorum, perpetuo diffundens in Corpus suum, quod est Ecclesia, et lumen Fidei et vitam gratiae, perinde ut Vitis dat palmiti vitam et fructum.

Unde quia Christus etiam per Sacramenta sanctificat Ecclesiam suam, est Ecclesia Sancta, ratione sanctificantis efficaciae Sacramentorum.

Sancta est Ecclesia ratione Doctrinae Fidei, qua Christus eam imbuit, qua praeparat eam ad Justificationem, et in accepta Justitia conservat.

Sancta est Ecclesia ratione internae ac verae coram Deo Justitiae Sanctorum qui in Ecclesia nunquam deerunt.

Sancta est Ecclesia ratione externae Unitatis in Fide et Dilectione Christiana: quandoquidem sanctae

Christi doctrinae nequit externa profes-sio, seu Verbo, seu Moribus fiat, non esse Sancta.

Sancta proinde quoque est ratione Ministerii Apostolici, quod et est a Christo institutum, et internam atque externam in Fide et Dilectione Unitatem perpetuo efficit.

Prop. 15ª

Succesores Apostolorum in potestate docendi, ministrandi, regendi, Christus non alios instituit quam Episcopos. –

Explico. Episcoporum nomine Christiana Antiquitas nullos unquam invenitur designasse nisi illos qui haberent potestatem ordinandi Presbyteros, et caeteros Clericos. Patet hoc primum Synodi Alexandrinae Epistola ann. 339. ubi declaratur Ischyram, quem Ariani dictitabant esse Presbyterum, nullatenus esse Presbyterum, eo quod Presbyterum eum ordinarat Colluthus Presbyter – Patet hoc etiam ex Epiphanio, qui haeresi 76. dicit: "Episcoporum enim ordo Patres generat Ecclesiae. Qui autem ordo Patres generare nequit, per lavacrum regeneratio-

nis liberos generat Ecclesiae, non vero Patres aut Doctores. Quomodo enim posset Presbyter constituere Patrem, quum non fuerit ordinatus ad ordinandum." — Patet idem ex Hieronymo, Epist. ad Evagrium: "Quidenim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?"

Prob. Vi promissorum Christi, potestas docendi, ministrandi, regendi, Apostolis collata, usque ad finem mundi duratura fuit, et exercitium ejus aeque perpetuum futurum fuit. Atqui post Apostolos, nulli unquam praeter Episcopos exercuerunt coactivam potestatem docendi ac regendi, necnon plenam potestatem Sacramenta ministrandi, inclusa scilicet potestate ordinandi; ergo etc.

Prob. Min. Iam Act. 20, 28. videmus Episcopos esse Rectores, aut ut ex graeco textu magis ad verbum verteres, Pastores Ecclesiarum: "Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere (graece ποιμαίνειν) Ecclesiam Dei."

Saeculo 2° Ignatius Martyr ait in

Epist. ad Smyrnenses: "Divisiones fugite ut principium malorum: omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, et Presbyterium ut Apostolos. . . Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad Ecclesiam spectant. . . Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit: quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia." Eodem hoc saeculo Irenaeus, contra Haeres. lib. 3. cap. 3. "Traditionem itaque Apostolorum, in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre. Habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, traditionis illius Custodes atque Dispensatores, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab haereticis deliratur." Adjunge alia quae ex Irenaeo adduximus pag. 34. et 35. ubi etiam invenies, Apostolos, eam quae in unoquoque loco est Ecclesiam, Episcopis tradidisse.

Eodem hoc saeculo Tertullianus, de Baptismo cap. 17.; "Dandi (baptismum) jus quidem habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri et Diaconi;

non tamen sine Episcopi auctoritate."

Saeculo 3°. Cyprianus, Epist. 69. ad Pupianum: "Illi sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata et Pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse."

Et quum Pupianus diceret Cyprianum non esse legitimum Episcopum, respondet Cyprianus: "Quis enim hic est superbiae tumor . . . ut nisi apud te purgati fuerimus, et sententia tua absoluti, ecce jam sex annis nec fraternitas habuerit Episcopum, nec Plebs Praepositum, nec Grex Pastorem, nec Ecclesia Gubernatorem, nec Christus Antistitem, nec Deus Sacerdotem."

Saeculo 4°. Aërius, Epiphanio teste, Haer. 76. haereticis annumeratur, eo quod Presbyteros faceret Episcopis aequales.

Saeculo 5°. Augustinus, Enarratione in illud Psalmi 44. pro Patribus nati sunt tibi filii, sic alloquitur Ecclesiam: "Genuerunt te Apostoli: ipsi missi sunt, ipsi praedicaverunt, ipsi Patres. Sed numquid nobiscum

corporaliter semper esse potuerunt?.. ..Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. Pro patribus nati sunt tibi filii. Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi; constituti Episcopi. Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos apellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus patrum."

Denique quotquot unquam dogmaticae definitiones, quotquot unquam leges in Conciliis aut generalibus aut particularibus latae sunt, ab Episcopis latae sunt.

Prop. 16ª

Successores Petri ut Capitis Corporis Pastorum, nulli alii unquam fuerunt, nisi Romani Pontifices.

Prob. Vi promissionum Christi, habiturus fuit Petrus successores usque ad finem mundi in illa docendi, ministrandi, regendi, plena et universali potestate quae data est ei ut Fundamento Ecclesiae ac Centro necessario Catholicae Unitatis. Iam vero post Apostolos, nemo alius hanc potestatem exercuit nisi Romanus Pontifex.

Ergo etc.

Majorem jam probavimus in Prop 13.

Prob. Min. Saeculo 2°. S. Irenaeus, Contra Haereses lib. 3. cap. 3. docet Romanam Ecclesiam esse Centrum necessarium Catholicae Unitatis. Vide textum in prob. Prop. 9ae. Constare autem de Identitate doctrinae quam Ecclesia Rom.a tempore Irenaei tenebat cum doctrina quam Petrus et Paulus praedicaverant, eo quod plane constet qui fuerint in ea sede successores, et quam doctrinam singuli successores usque ad eum qui tunc sedebat, Eleutherium, tenuerint. Ergo, juxta Irenaeum, in Magisterio singulorum Pontificum Romanorum perpetuabatur fundamentum ac centrum fidei Catholicae. Uno verbo: omnem Ecclesiam necesse erat convenire (in fide) cum Ecclesia Romana: fides autem Ecclesiae Romanae est fides illa quam in Ecclesia Rom.a praedicat Romanus Episcopus: et haec quaenam sit publice cognoscitur. Concludit hunc locum S. Irenaeus hisce verbis: "Hac ordinatione "et successione, ea quae est ab Apo-

"stolis in Ecclesia traditio et veritatis
"praeconatio pervenit usque ad nos. Et
"est plenissima haec ostensio, unam
"et eandem vivificatricem fidem esse,
"quae in Ecclesia usque nunc sit con-
"servata et tradita in veritate."

Eodem hoc saeculo S. Victor Papa, in quaestione de tempore Paschatis celebrandi indicit plura simul in diversis regionibus Concilia, ac demum serio cogitat excommunicare omnes Asianae provinciae Ecclesias, eo quod praecipiente Victori, ut morem caeterarum per orbem Ecclesiarum, dimisso Judaico more, sequerentur, parere noluerant. Dum Victor haec animo versat, S. Irenaeus suo et collegarum nomine deprecator intervenit, magnopere exhortans, ne tot per Asiam Ecclesias abscindat ab Unitate Catholica Victor, ob discrepantiam mere disciplinarem, quam in S. Polycarpo S. Anicetus Papa, illaesa communione Ecclesiastica, toleraverat. Hoc unum allegat Irenaeus: defectum potestatis in Victore non allegat, sed e contrario implicite agnoscit, quum deprecatur ne tot Ecclesias abscindat. Vid. Euseb. Hist. Eccl. 23. 24. 25.

Saeculo 3°. S. Cyprianus libr. de Unitate, demonstraturus non posse eos qui contra Episcopi sui cathedram insurgunt, dum Episcopus cum Petri cathedram conjunctus manet, tenere cum Ecclesia Catholica unitatem, sic arguit.

"Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, et super istam Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis. Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: pasce oves meas. Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat, sicut misit me Pater, et Ego mitto vos, accipite Spiritum S^{m}. si cui remiseritis peccata, remittentur ei, si cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut Unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab Uno incipientem sua auctoritate

disposuit. Hoc erat utique et caeteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab Unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed Grex unus ostenditur, quia ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur. Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus S. ex persona Domini designat, et dicit: una est columba mea, etc. Hanc Ecclesiae Unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesia renititur et resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit? Quando et beatus Paulus hoc idem doceat, et sacramentum Unitatis ostendat, dicens: unum corpus et unus Spiritus, una spes vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Quam Unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut Episcopatum quoque ipsum, unum

atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque Una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur: quomodo solis multi radii, sed lumen unum: et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: et quum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis Unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte praecidi rivum, praecisus arescet."

Colligamus jam paucis verbis ratiocinium Cypriani.

Super unum Petrum aedificat Christus Ecclesiam suam, quia soli Petro dictum est, Tu es Petra etc. et Pasce oves meas etc. Ergo Primatus datur soli Petro, quatenus per Primatum intelligitur potestas Fundamenti sustentantis universam Ecclesiam. Primatus autem Petro datur, ut Una

Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur. Non monstratur autem Ecclesia una, nisi monstretur Fundamento suo conjuncta; non monstratur omnium Episcoporum Cathedra Una, nisi quatenus omnes Episcopi cum Petri Cathedra uniti sunt; ergo debent primum ipsi Episcopi servare cum Petri Cathedra Unitatem, si probare velint omnium Episcoporum unam esse Cathedram, unam pastoralem potestatem, unum Episcopatum: qua unitate posita, singuli Episcopi vere tenent aliquam partem pastoralis potestatis, ita ut teneant eam in solidum, id est, ita ut nequeat violari auctoritas ullius Episcopi, quin eo ipso violetur ipsa Cathedra Petri, adeoque et auctoritas omnium Episcoporum, qui Cathedrae Petri ut fundamento suae potestatis innituntur.

Ex hoc argumento Cypriani facile jam intelligimus quaedam ejus verba, quorum sensus non statim occurrit. Dicit, Christus Unam Cathedram constituit, talem scilicet cui tanquam fundamento omnes Episcoporum, qui pro legitimis haberi vellent, Cathedrae niterentur.

Dicit, Pastores sunt omnes Apostoli, sed Grex unus ostenditur, quippe qui summa Apostolorum cum Petro consensione pascatur. Dicit, Hoc erant et caeteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris et potestatis, quoad personalem eorum potestatem, sed nequaquam ita quoad transmittendam successoribus personalis suae plenitudinem: quia nullus eorum, nisi Petrus, designatus fuerat á Chº. perpetuum Ecclesiae fundamentum in exercitio plenae potestatis Apostolicae. Hinc etiam dicit exordium Unitatis perpetuo duraturae ab Unitate illius Fundamenti, tanquam a causa efficiente proficisci.

Jam thesin nostram confirmandam dicimus cum Cypriano: Cum Cathedra Petri semper debebunt omnes Episcopi, et mediantibus Episcopis, omnes fideles esse conjuncti; Atqui Cypriano Cathedra Petri illa est quam sedet Episcopus Ecclesiae Romanae: sic enim Epist. 55 ad Cornelium Papam navigare audent, inquit, (Schismatici)

et ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde Unitas Sacerdotalis exorta est, id est, damnati in Africa Schismatici ad Cornelium Papam se contulerunt, ut latam in Africa sententiam, ab ipso rescindendam curarent. Ergo cum Romanis Episcopis, utpote haeredibus Cathedrae Petri, semper oportebit ab omnibus servari Unitatem. Ergo Petro, ut Fundamento Ecclesiae, succedunt Romani Pontifices

Petri Cathedram agnoscit S. Cyprianus etiam in Cathedra S. Stephani Papae, quum Ep. 67. ad Stephanum, rogat eum ut Marcianum Arelatensem Episcopum ab Ecclesiae Communione abstineat, aliumque in ejus locum substituat, eo quod Marcianus Novatianorum errorem aperte profiteatur.

Saeculo 4°. Ariani S. Athanasium accusant apud S. Julium Papam. Hic audita utraque parte, Athanasium absolvit. Deinde petentibus generale Concilium Arianis promittit Julius concilium Romae celebrandum, atque eos necnon Athanasium ad comparendum citat. Advenit Athanasius, et per annum cum demidio praestolatur Arianos. Ipsis non comparentibus, absolvi-

tur Athanasius ac Sedi suae restituitur. Restituuntur eodem tempore a Julio multi Episcopi, qui ab Ariani ejecti ad sanctae Sedis judicium confugerant. Rationem autem ob quam Julio licuerit Episcoporum quorumcunque causas cognoscere, eosque damnare aut Sedibus suis restituere, Socrates, Sozomenus, ac Theodoretus non aliam assignant, quam supremam Romanae Sedis potestatem.

Ait enim Socrates lib. 2. cap. 11. "Julius vero, quippe cujus Ecclesia Romana praefecturam (προνομίαν) habet, litteris confidentia et auctoritate plenis ipsos (quos restituebat Episcopos) munivit."

Theodoretus lib. 2. cap. 4. "Eusebiani ad Julium accusationes scriptas miserunt: Julius autem Ecclesiae legem secutus, accusatores Romam venire jussit, divinumque Athanasium in jus vocavit."

Sozomenus lib. 2. cap. 8. loquens de Episcopis qui a Julio restituti fuerunt, ait: "Ubi omnes una mente complecti ea quae in Nicaena Synodo decreta erant, animadvertit, utpote ejusdem secum fidei, eos in Communionem admisit, et unicuique suam sedem restituit, eo quod ad ipsum, propter Apostolicae Cathedrae Majestatem, omnium

Ecclesiarum cura pertinebat." Gesta sunt haec intra annum 339. et 341.

Anno 347. celebratum est Concilium Sardicense, ad quod convenerunt Episcopi Orthodoxi 300, Eusebiani 76 (juxta Socrat. lib. 2. cap. 16.) Aderant et Legati Julii Papae. In hoc Concilio conditus est Canon ordine 5us, hujus tenoris: Et hoc placuit, ut si Episcopus accusatus fuerit, et omnes judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum dejecerint: si appellaverit qui dejectus videtur, et confugerit ad beatissimum Romanae Ecclesiae Episcopum, et voluerit se audiri: si justum putaverit ut renovetur examen, scribere Episcopis dignetur Episcopus Romanus qui in finitima et propinqua altera provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quodsi is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyteros mittat, erit in potestate ejus, quid velit et quid aestimet. Si decreverit mittendos esse qui cum Episcopis praesentes judicent, ut habeant etiam auctoritatem illius personae a qua destinati sunt, erit in ejus arbitrio.

Si vero crediderit sufficere ut Episcopi comprovinciales negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit." Ergo non videbant Episcopi Concilii Sardicensis ullam Christi legem, qua non liceret Episcopo Romano in quatuor his casibus agere prout oportunum judicaret. Facultas autem recipiendi appellationes Episcoporum a Comprovincialibus jam judicatorum, non est nisi potestas omnium aliorum Episcoporum potestate superior. Ergo agnoscitur in Episcopo Romano potestas suprema, adeoque talis cui omnes subordinati esse debeant.

Circa annum 376. orta inter ipsos Catholicos quaestione utrum in Trinitate tres essent dicendae hypostases, an vero una; item tres personae subsistentes (τρια ενυποστατα προσωπα), an vero tres hypostases, S. Hieronymus ad S. Damasum scribit: "Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam et desuper textam, minutatim perfrustra discerpit.... Ideo mihi Cathedram Petri et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam.... Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est,

Cathedrae Petri Communione consocior: super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc Domum Agnum comederit, profanus est.... Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum, mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas."

S. Ambrosius in Psalmo 40.: "Ipse est Petrus, cui (Christus) dixit, Tu es Petrus, etc. Ubi Petrus, ibi Ecclesia: ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna. Et ideo addidit, Et portae inferi non praevalebunt ei. Et tibi dabo claves regni coelorum. Beatus Petrus, cui non inferorum porta praevaluit, non coeli porta se clausit: sed e contrario destruxit inferni vestibula, patefecit coelestia. In terris itaque positus coelum aperuit, inferos clausit."

De Fide lib. 4. "Denique ut scias quod (Christus) secundum hominem rogat, divinitate imperat, habes in Evangelio quod Petro dixit, Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Eidem autem supra dicenti, Tu es Christus, Filius Dei vivi, respondit, Tu es Petrus, et super hanc petram etc. Et tibi dabo claves etc. Ergo cui propria auctoritate

regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat, quem, quum petram dicit, firmamentum Ecclesiae constituit?

Serm. 47. Fidelior enim factus est (Petrus) postquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo majorem gratiam reperit quam amisit. Tanquam bonus enim Pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: et qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, caeteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate devotionis, Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus, Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tanquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque contineat."

Jam vero quae fuerit Ambrosii tempore Ecclesia, quae caeteris esset in fide fundamentum Unitatis, declarat Synodi Aquiliiensis, cui praesederat Ambrosius, Epistola ad Imperatores, in qua petitur ne Ursinus Antipapa sinatur Romam ire, "turbarum toties damnatus..... Totius orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolo

rum fidem, ne turbari sineret obsecranda fuit Clementia Vestra: inde enim in omnes venerandae communionis jura dimanant."

S. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Donatistam Parmenianum: "Igitur negare non potes scire te, in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus; unde et Cephas appellatus est: in qua una Cathedra Unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra unica, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, (et enumerat caeteros)... Damaso Siricius hodie, qui noster est socius; cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat."

S. Augustinus agnoscit esse datum Petro Primatum potestatis in tota Ecclesia. Nam Tract. ult. in Joan. dicit: "Cujus Ecclesiae Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui Primatum, gerebat figurata generalitate personam. Simile testimonium invenies in Enarr. in Psal. 108.—

Serm. 23, de verbis Domini: "Petrus, a Petra cognominatus, beatus, Ecclesiae figuram portans, Apostolatus Principatum tenens."

Jam vero successores Petri in hoc Primatu ac Principatu Apostolatus esse Episcopos Romanos, habes ex hisce Augustini locis.

Ep. 43. "Unde non mediocris utique auctoritatis habebat (Carthago) Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, quum se videret et Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus, et caeteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum.

Lib. 2. cap. 51. contra Litteras Petiliani: "Cathedra quid tibi fecit Ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit, et in qua nunc Atanasius sedet."

Ep. 53. Docet Donatistas convinci de schismate, quod non communicent cum Petri successoribus Romanis Episcopis, quos ibidem enumerat inde a Petro usque ad Anastasium tunc temporis sedentem. "Si enim ordo Episcoporum sibi invicem succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait, Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae

inferi non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus ......
Siricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur"

Sic etiam in Psalmo contra partem Donati,

Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede,
Et in ordine illo Patrum quis cui successerit videte,
Ipsa est Petra quam non vincunt superbae inferorum portae.

Anno 431. celebratus est Synodus Ephesina generalis, in qua praesidentibus Sedis Apostolicae Legatis, Nestorius ut haereticus damnatur et deponitur. Notanda hic primum occurrunt ea quae S. Coelestinus Papa dicit in Epistola illa quam recens appulsi Legati publice legendam curant. "Spiritus Sancti praesentiam testatur congregatio Sacerdotum . . . sanctum namque est pro debita sibi veneratione Concilium, in quo utique nunc Apostolorum frequentissimae illius, quam legimus, congregationis aspicienda est reverentia. Nunquam his defecit

Magister, quem receperant praedicandum. Adfuit his semper Dominus et Magister: sed nec docentes a suo Doctore deserti sunt unquam. Haec ad omnes in commune Domini Sacerdotes mandatae praedicationis cura pervenit: haereditario in hanc sollicitudinem jure constrigimur, quicunque per diversa terrarum, eorum vice nomen Domini praedicam, dum illis dicitur, Ite docete omnes gentes Advertere debet Vestra Fraternitas, quia accepimus generale mandatum: omnes etiam id nos agere voluit, qui illis sic omnibus in commune mandavit officium". Ergo Collegio Apostolico succedit Corpus illud Pastorum quod componitur anno 431. ex Coelestino Papa, cujus Legati praesidebant Concilio, et omnibus legitimis Episcopis. Quod autem Coelestinus succedat Apostolo Petro, nec solum in eodem genere potestatis, ut caeteri Episcopi, sed in hujus Potestatis Plenitudine et Universalitate, Philippus Presbyter coram tota Synodo, Act. 3. sic profitetur: "Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod Sanctus Petrus Apostolorum Princeps et Caput, Fideique columna, et Ecclesiae Catholicae Fundamentum a Domino nostro Jesu Christo Salvatore hu-

mani generis ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est: qui ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem successor et locum tenens Sanctus Papa noster Coelestinus, nos Ipsius praesentiam supplentes, ad hanc Synodum misit".

Denique deveniens ad sententiam ferendam contra Nestorium, Synodus ita praefatur: "Coacti per sacros Canones et Epistolam Sancti Patris nostri et Comministri Coelestini Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubram hanc contra eum (Nestorium) sententiam necessario venimus." Agnoscit ergo Synodus in Coelestini mandatis auctoritatem quae Synodum cogat. —Vide etiam locum ex Epist. S. Coelestini ad Nestorium, citatum in Prop. 9ª

Anno 451. Celebrata est Chalcedone Synodus Oecumenica, e cujus actis decerpimus ad confirmationem Propis 16. pauca quaedam, de Depositione Dioscori, de acceptatione Epistolae Dogmaticae S. Leonis Papae, de petita Confirmatione gestorum Synodalium.

Ac primum depositionem Dioscori Patriarchæ Alexandrini quod attinet, notandum est
1) sententiam qua decreverat Leo, ut Dioscorus non sederet in Synodo judex, sed judicandus audiret, fuisse a Legatis suis sic enuntiatam: "Beatissimi atque Apostolici viri, Papæ Urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est. Sic ergo præcipiat vestra Magnificentia, aut nos eximus". —
2) Quærentibus iis, qui ad arcendam perturbationem ordinis fuerant missi Judices, quid causæ contra Dioscorum proferretur, respondent Legati: "Judicii sui necesse est eum dare rationem, quia quum personam judicandi non haberet, præsumpsit et Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est."
Nec Judices, aut alius quisquam his Legatorum verbis contradicit, sed e contrario jubetur Dioscorus sedere in medio judicandus.
Et statim proferunt adversus eum accusationes quisque suus Episcopus.
3) Quum haberent Legati in potestate sententiam depositionis proferre aut non proferre, si adjuncta ita suaderent,

Legati Synodum interrogant, quid ei videatur statuendum contra Dioscorum; tota Synodus profitetur se id decreturam quod Legati decernerent. Tunc pronuntiant Legati sententiam istam: « Unde sanctissimus et beatissimus Archiepiscopus magnæ et senioris Romæ Leo, per nos et præsentem sanctam Synodum, una cum ter beatissimo et omni laude digno B. Petro Apostolo, qui est Petra et Crepido Catholicæ Ecclesiæ et rectæ fidei fundamentum, nudavit eum (Dioscorum) tam Episcopatus dignitate quam etiam ab omni sacerdotali alienavit ministerio. Igitur sancta hæc et magna Synodus, quæ placent regulis, supermemorato Dioscoro decernat." Subscribit tota Synodus.

De Acceptatione Epistolæ dogmaticæ S. Leonis, notanda sunt ista. 1) In actione 2ª quum Judices laïci rogarent Patres ut novam ederent fidei definitionem, "Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Expositionem alteram nullus facit, neque tentamus neque audemus exponere. Docuerunt Patres et in Scriptis custodiuntur quæ ab iis sunt exposita et citra ea dicere non possumus. Cecropius

Sebastopolitanus dixit: "Emerserunt quæ ad Eutychen pertinebant et super iis forma data est a Sᵐᵒ Archiepiscopo Romanæ Urbis, et sequimur eum, et epistolæ omnes subscripsimus. Revᵐⁱ Episcopi clamaverunt: "Ista omnes dicimus. Sufficiunt quæ exposita sunt; alteram expositionem non licet fieri".

Quum iterum instarent judices, ut saltem metropolitani cum singulis aut binis suæ provinciæ Episcopis novam definitionem conderent: cumque Synodus iterum negasset licere, et Cecropius postularet ut ea quæ jam a prioribus Conciliis et per Leonis epistolam definita fuerant legerentur, lecta est definitio Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, et Leonis Papæ ad Flavianum.

Dum legeretur epistola S. Leonis, Episcopi Illyrici et Palæstinæ dicunt se quædam non satis intellexisse, et unus ex Illyricis Atticus petit a judicibus inducias ad examinandum epistolam S. Cyrilli, id est, definitionem Ephesinam et epistolam S. Leonis. Cæteri vero Episcopi, e 530 Synodi longe maxima pars, post lectam epistolam Leonis exclamaverunt: omnes ita credimus, nostrum nullus dubitat, nos jam subscripsimus.

Denique ad tollendas difficultates Palaestinorum et Illyricorum, jubetur Anatolius quosdam e Synodo seligere qui privatim eos instruant circa intellectum quarumdum vocum. Post quinque dies induciarum Illyrici et Palaestini in Act. 4. profitentur se quaedam ex Epistola Leonis primum non bene assecutos, postea junctis [illegible] Legatis Papae recte jam assecutos, Epistolae plane consentire.
Labbe. p. 391. 394.

In Actione 4a exigunt judices ut declarent singuli Patres utrum Epistola S. Leonis congruat cum definitione Nicaenae Synodi et Constantinopol. et omnes subscriptione aut acclamatione affirmant.

Ex hac serie gestorum habemus:
a) Epistolam S. Leonis jam fuisse ante Synodum a longe plerisque Patribus admissam ut regulam fidei.
b) Illyricos et Palaestinos non dubitasse de auctoritate Leonis, sed de sensu verborum ejus.
c) Declaratio quam judices a Patribus postulant, circa conformitatem Epistae S. Leonis cum prioribus definitionibus fidei, non quidem est gallicanis quibusdam [illegible] a Patribus postulanda, nec u[illegible] [illegible] tandem, S. Leonis Epistolam

utrique habuissent pro regula fidei, id est, pro definitione irreformabili — Sed quam inconsiderate loquantur qui sic objiciunt, vel hinc apparet quod Episcoporum in fidei quæstionibus Officium id ipsum ab eis exigit quod a Chalcedonensibus Episcopis Judices exigebant: nimirum ut declarent fidei definitionem quam amplectuntur conformem esse doctrinæ traditæ unice a Christo. Nec mirum hoc cuiquam videbitur qui adverterit Patres Chalcedonenses dicere (Labbe, p. 561.) se suscipere Synodum Constantinopolitanam primam eo quod congruat cum Nicæna Synodo, et eadem de causa Ephesinam. Quare ergo non dicerent se suscipere Epistolam Leonis quia congruat cum prioribus Synodis Nicæna et Constantinopolitana, etiamsi tam irreformabilem eam judicarent, quam Synodum Eph^{am} et Constantinop^{am}.

S. Leo Concilium Chalcedonense non ad aliud negotium quam ad causam fidei contra Eutychen agendam indixerat; Anatolius autem qui sedem Constantin^{am} cuperet supra Alexandrinam elevari, in depositione Dioscori Alexandrini egregiam nactus opportunitatem, finito negotio fidei, Patres facile in-

[illegible]xit ad condendum canonem quo Constantinop^a sedes declaratur [illegible] Patriarchatum post Romanam prima. Sed hoc Nicænis Canonibus contrarium, [illegible] Apostolicæ sedis [illegible]; [illegible] quum Chalcedonensium Patrum, si Leonis consensus accederet, [illegible] auctoritas esset quam Nicænorum, rogant in Epistola Synodica Leonem ut canonem suum de sede Constantinop^a dignetur confirmare.

Respondet se ea confirmare quæ in causa fidei gesta erant; cætera nequaquam, ac specialim canonem de sede Constantin^a declarat se <u>in irritum mittere et generali prorsus definitione cassare</u>. Vide Epist. ad Synodum, ad Anatolium, ad Pulcheriam. Et revera canon iste expunctus est ex Actis Synodi, nec Marciano Imp., nec Anatolio reclamante, quin imo fatente, <u>in Apostolici Præsulis potestate totum positum esse</u>. Vide S. Gelasii Papæ, Epist. 13.

Anno 515 [illegible] 519 sub Hormisda Pontifice redierunt ad communionem cath^m Ecclesiæ Constantin^a, Alexandrina et Antiochena quas sub Zenone et Anastasio Imperatoribus hæretici [illegible] hostes Synodi Chalcedonensis invaserant ac circiter triginta quinque annos tenuerant, donec evectus ad Imperium Justinus Imperator cœpit agere cum

S. Hormisda de procuranda reconciliatione Orientis cum Ecclesia Romª. Concedit S. Hormisda communionem suam Orienti ea solum conditione ut omnes Orientis Episcopi qui ad Unitatem Eccl. sive redire voluerint, subscribant formulam ab Ipso proescriptam quoe hujus tenoris est:

"Prima salus est rectoe fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare: et quia non potest Domini Nʳ J.C. proetermitti sententia dicentis, tu es Petrus et super hanc petram oedificabo Ecclesiam meam. Hoec quoe dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica servata religio. De qua spe et fide minime separari cupientes et Patrum sequentes Constituta, anathematizamus omnes hoereses, et proecipue Nestorium hoereticum ..... Similiter et Eutychen et Dioscorum Alexandrinum in sancta Synodo, quam sequimur et amplectimur, Chalcedonensi damnatos ..... Detestamur et Timotheum Alurum parricidam, ipsiusque sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum condemnamus. Et etiam anathema

lizamus Acacium ab Apostolica Sede damnatum, eorum complicem et sequacem, vel qui in eorum communione vel societate permanserint...... Petrus nihilominus Antiochenum damnamus cum sequacibus suis et omnibus suprascriptis.

Suscipimus autem et probamus Beati Leonis Papæ universas, quas de religione Christiana conscripsit Epistolas; sequentes in omnibus apostolicam Sedem, et prædicantes omnia ejus Constituta. Et per omnia spero ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat esse merear, in qua est integra et vera Christianæ Religionis et perfecta soliditas. Promittens in sequenti tempore, sequestratos a Communione Ecclesiæ Catholicæ; id est, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.

Quodsi in aliquo a mea professione deviare tentavero his quos damnavi, complicem me hac mea sententia esse profiteor.

Hanc autem professionem meam, ego manu mea subscripsi".

Et hanc Professionem omnes Orientales Episcopi qui in schismate

fuerant subscripsere.

Non alia illa occasione magis eminuit Romani Pontificis auctoritas suprema quam in quaestione trium Capitulorum anno 553 per definitionem solius Vigilii terminata quae vim oecumenicae definitionis impertivit definitioni illius Conciliabuli Constantinopolitani, quod renitente Vigilio per tyrannicam Justiniani voluntatem coactum atque celebratum Theodori Mopsuesteni et personam et libros simul cum quibusdam Theodoreti libris et Ibae ad Marin Epistola anathematizavit. Atqui ex hac ipsa Synodo adversarii primatus Pontificii, gravissimas putant objectiones elici, quas ad haec duo capita reducemus.

Primum quod Synodus illa inde a tempore Vigilii, i.e., inde ab anno 553 habita est pro Oecumenica in tota Ecclesia, excepta ditione Longobardorum, scil. Istria, Venetia, Liguria: et tamen coacta ac celebrata fuerat et definitionem suam ediderat renitente Vigilio.

Deinde auctoritatem definitionis Vigilii postremae censent facile probari non esse ineluctabilem, quum Theodori Mopsuesteni ac trium capitulorum condemnationem primum improbaverit, deinde Judicato approbaverit, tum Constituto improbaverit, ac demum in Epistola ad Eutychium approbaverit.

Attamen et ad solvendas objectiones istas et ad demonstrandam ineluctabilem auctorita-

tem definitionis Pontificiæ satis erit et statum quaestionis et progressum controversiæ habere præ oculis.

<u>Occasio controversiae</u> ista fuit. Quamvis notum esset Patribus Ephesinis haeresin Nestorii e Theodori Mopsuesteni scriptis venisse, nihil tamen adversus Theodorum nominatim decreverant, quin immo etiam post Synodum, anno 435 quum vellet quidam Maximus archimandrita Theodorum ut Nestoriani dogmatis auctorem publice traducere, ita scribit ad Proclum Constantinopᵐ S. Cyrillus: " Nunc vero quod in conscriptis Theodori invenimus quædam nefarie dicta, et nimiæ plena blasphemiæ, nulli dubium est recte sapientium. Sciat vero Sanctitas tua, quod prolata apud Sanctam Synodum Ephesinam fidei expositione ab eo composita ...... reprobavit quidem eam S. Synodus, utpote perversis plenam intellectibus, et Nestorianam impietatem quasi effluentem. Hic vero condemnatus, qui sic sapiunt, nullam viri mentionem fecerat in expositione, nec ipsum anathemati subjecit propter dispensationem (i.e. prudentem condescensionem, seu relaxationem juris), ne quidam ad existimationem tanti viri respicientes, sese ipsos ab Ecclesiis separent. Dispensatio vero in his optima res est et sapiens. Si enim adhuc in vivis esset, et Nes

torii blasphemiarum fautor, aut suffragari vellet iis quæ scripsit ipse, anathema etiam in propria persona subiisset. Quoniam vero ad Deum abiit, sufficit, ut ego puto, ea quæ ab eo absurde scripta sunt rejici ab iis qui recte sentiunt: quandoquidem ulterius progredi nonnunquam tumultuum occasiones præbeat."

Perinde ut Ephesina, pepercerat Chalcedonensis Synodus Theodoro, Theodoretumque et Ibam Episcopos, qui adversus S. Cyrilli anathematismos, aut contra ipsam Synodum Ephesinam scripserant, ad communionem et consessum in Synodo receperat quin exigeret ab eis scriptorum suorum condemnationem explicitam, quia implicitam dederant acceptando decreta Synodi Ephesinæ et Epistolam Sti Leonis.

Hanc utriusque Synodi prudentem clementiam et multi in Oriente et plurimi in Occidente aut male intellexerunt, aut etiam in novarum turbarum occasionem perverterunt. Certe jam anno 435 Nestorianismus sub nomine et auctoritate Theodori resuscitabatur, ut testis est S. Cyrillus in Epist. ad Acacium Melitensem: "confingentes enim ea quæ Nestorii sunt odisse, alio iterum ea introducunt modo quæ Theodori sunt admirantes, et certe æqualem, magis vero multo majorem morbum

impietatis habentia ..... Scripserunt etiam ad me Orientales, quod non oportet ea quae Theodori sunt accusari, ne, sicut dicunt, et beati Athanasii, et Theophili et Basilii et Gregorii dicta accusentur......
Haec vero sic persuaserunt Orientalibus, ut exclamationes in Ecclesiis fierent a populis, crescat fides Theodori, sic credimus ut Theodorus, et lapidaverunt eum qui aliquando ausus est aliquid breve subloqui." Vide etiam Facundi Hermianensis lib. 2. Cap. 2.

Interea turbas cient in Palaestina Monachi Origenistae: acriter insectatur eos Imperator, sed impetum ejus ab Origenistis in aliam pestem flectit Theodorus Caesareae, Origenista Monachus ipse. Docet Nestorianismum in Theodori Mops. et fama et scriptis, nec non in quibusdam Theodori et Ibae lucubrationibus vivum ac vegetum superesse. Ruit in hunc inexpectatum hostem Theologaster Imperator: mittit ad omnes Patriarchas atque ad ipsum Vigilium Papam Edictum, proferens Anathema et contra Ibae Epistolam ad Marin, et contra scripta Theodoreti adversus Cyrillum et contra Theodori Mops.ⁱ tum scripta, tum personam. Quod judicii genus Catholicis passim erat invisum, non solum quod a potestate saeculari latum, sed etiam quod ista Capitulorum trium (ut trium

illorum obnoxia scripta vocabantur) condemnatio inurebat aliquam infamiam memoriæ virorum qui in Ecclesiastica Unitate defuncti aut erant aut credebantur. Itaque

Status quaestionis hic erat. utrum æquum esset et ad pacem Ecclesiæ proficuum, damnare tria illa capitula, ac ipsam Theodori personam. Affirmabat Justinianus eo quod speraret se ita adempturum Acephalis omnem rationem haesitandi in acceptatione Synodi Chalcedonensis: contra negabant omnes occidentales, eo quod ita videretur ad examen revocari causa ut ipsi putabant, jam finita in Synodo Ephesina et Chalcedonensi, adeoque convulsum iri auctoritatem Synodorum istarum. Quin et Alexandrino et Constantinop.° Patriarchæ tam dubia res visa est, ut ille miserit ad Vigilium conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem (i.e. subscriptionem) fuisse compulsum; alter vero subscripserit solum post juratam promissionem quod chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.

Progressus Controversiæ — Vigilius suspendit Mennam. Vigilius anno 546 proficiscitur in Græciam, hinc in Thraciam et in itinere obvios ubique habet Episcopos

deprecantes ne condemnationi trium Capitulorum consentiret, quin imo Vigilii Apocrisiarius jam non communicabat amplius cum Menna qui et ipse Edictum subscripserat et alios ad scribendum compulerat. Hinc cum Constantinopolim pervenisset Vigilius Mennam suspendit a Communione Ecclesiastica, nec nisi post quatuor menses, rogante Theodora Augusta, eum communioni restituit. Videbat nimirum quanto scandalo esset Occidentalibus tam turpis Orientalium erga Justinianum docilitas, et quum generaliter crederetur in Occidente damnationem trium Capitulorum fore implicitam damnationem Synodi Chalcedonensis.

Sed postquam causam coepit auditis utrinque rationibus examinare, vidit Vigilius a servilitate Episcoporum Orientalium qui etiam contra conscientiam Edictum omnes subscripserant, nihil aliud expectandum esse quam ut Imperatoris favorem ac minas anteponentes auctoritati Pontificis, in apertum omnes Schisma laberentur. Erat quidem et aliquod Schismatis periculum in Occidente, sed de Occidentalium erga S. Sedem reverentia multum poterat sperare.

Erat jam tentandum utrum Orientales et Occidentales ad concordiam adduci pos-

sunt: quam in rem convocat Vigilius ad conferendum de tribus Capitulis Episcopos qui tum erant Constantinopoli. Tanto autem aestu ac pertinacia sententiam suam utrinque defenderunt, ut Vigilius demum suspensa omni disputatione, scripto consignari singulorum sententias postularit, adjectis singulorum suffragio rationibus quibus sententiam suam tuerentur. His consideratis

Dat Vigilius Judicatum suum quo tria Capitula damnat. Istud Judicatum non misit Vigilius nisi ad Mennam, expectans opportunum tempus, quo animis Occidentalium melius dispositis posset illud absque Schismatis periculo vulgare. Sed imprudentia Diaconorum Rustici et Sebastiani omnia pessumdedit. Inscio Vigilio festinant homines isti mittere quaquaversum in Occidentem exemplaria Judicati, et Episcopi Illyrici, Dardaniæ et Africæ separant se a communione Vigilii, quod minis aut violentia Justiniani compulsum, aut quocumque alio modo seductum Vigilium crederent. Post istam animorum exacerbationem Diaconi illi popularem auram majorem in flammam ventilant, Judicatum quod antea tot laudibus extulerant omnibus vituperiis insectando usque adeo ut de

buerit eos tandem Vigilius excommunicare. Discesserant a Vigilio Illyricum, Dardania et Africa, nec Vigilium magis quam Justinianum sollicitum tenebat ista discessio, quum non magis Vigilio quam Justiniano infensi essent ii qui discesserant; unde fieri posset ut Gothis potius sociarentur Occidentales, quam in Justiniani potestate manerent. Convenit ergo inter Vigilium et Justinianum præsentibus Episcopis et Senatu ut eodem utrinque numero Orientales et Occidentales Episcopi Constantinopoli convenirent; restitutum est Vigilio Judicatum; et integra causa futuræ Synodo decidenda servata est, lata in antecessum excommunicatione in Orientales Episcopos qui ante Synodum paris utrinque numeri Patrum, attentarent de causa trium Cap.^{rum} statuere.
Synodus Schismatica — Constitutum Vigilii. Advenerant adhuc anno 553 nisi pauci Episcopi ex Africa et Illyrico. Nihilominus præcepit Justinianus ut Synodus fiat. Invitant Episcopi Vigilium ut Synodo dignetur interesse ac præsidere. Negat Vigilius synodum legitimam esse quæ fiet contra pacta conventa de æquali numero Orientalium et Occidentalium: daturum se scrip-

tum responsum Imperatori quo statuat de causa trium Capitulorum.

Nonobstante hoc Papæ responso, celebrant Synodum, sic jubente Justiniano, Episcopi Orientales centum quadraginta quinque cum quinque Africanis. Interim intra viginti circiter dies Vigilius responsum suum, quod Constitutum vocat, ad Imperatorem misit. Improbat in eo damnationem trium Capitulorum, nullo tamen adjecto anathemati contra dissentientes, et refert se per Pelagium Diaconum prohibuisse Episcopis in Synodo congregatis ne de causa trium Capm. quidquam statuerent ante prolatam a Papa sententiam. Pergunt nihilominus Episcopi examinare causam, et Collatione octava proferunt sententiam qua damnant tria Capa. et anathema dicunt Theodoro Mopsuesteno. Sed Papæ Constitutum toto Synodi tempore Justinianus occultum tenuerat, quippe quod sententiam continebat Edicto Justiniani contrariam.

Damnat tandem Vigilius tria Capitula. Prolata a Synodo sententia majores animos addidit Justiniano, et Vigilii firmitas punita est exilio ad insulam Proconnesum. Pergebat tamen Vigilius examinare causam et quum paulo post reversus esset Constantinopolim, scripsit ad Eutychium Patriarcham litteras, quibus docet esse tandem sibi cer-

tum, posse damnari Capitula quin lædatur ulla ratione auctoritas Synodi Chalcedonensis, et quum animorum commotio jam deferbuerit se nunc damnare personam Theodori Mops.ᵉ et tria Cap.ᵃ et anathema dicit iis qui contra sentiant. Et notandum est eum in tota hac bene longa Epistola ne verbo quidem Synodi mentionem fecisse.

Unde concludimus 1º) Vigilium in hoc arduo negotio secutum esse regulam quam sibi S. Cyrillus in hoc eodem negotio statuerat, ut scripta heterodoxa publice damnaret, aut non damnaret, pro diversa dispositione animorum, pro majore aut minore scandalo quod ex alterutro procedendi modo oriretur. Quum ergo eo tempore quo Judicatum suum dedit imminens appareret Schisma Orientis, in Occidente vero nihil adhuc turbarum in hac re evenisset, damnavit Judicato tria Capᵃ. Postquam vero damnatio ista Schismatis inter Occidentales occasio facta est, retraxit Judicatum deditque Constitutum suum, quia potius providendum erat necessitati eorum qui hactenus Apostolicæ Sedis Judicia reveriti fuerant, quam servilium Orientalium qui ad omnem imperatoris nutum huc atque illuc circumferrentur. Eratque hoc tanto æquius quod Occidentales illa ipsa commoverat erronea opinio quæ Vigilium ipsum

anxium adhuc tenebat, scil. Orientales per damnationem trium Cap^orum^ minuere velle auctoritatem Synodi Chalcedonensis, quae jam sub Zenone et Anastasio tanto furore fuerat impetita. Quum demum in exilio cognovisset non subesse tale periculum dedit illam, quam diximus, ad Eutychium Epistolam solemnemque sub anathemate sententia.

Concludimus 2°) Vigilii Sententiam tantae fuisse auctoritatis in tota Ecclesia, ut invalidam sententiam Synodi Schismaticae efficeret aequivalentem sententiae Synodi Oecumenicae. Quisque autem post extinctum jam Gallicanismum Synodi 5ae legitimam fuisse celebrationem, adhuc defenderet, recordetur Dioscorum in Synodo Chalcedonensi ideo fuisse damnatum, quod Synodum ausus esset facere sine auctoritate sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est: Patres autem Synodi 5ae et contra expressam prohibitionem et spreta, quae jam pridem lata fuerat, excommunicatione in eos qui ante latam a Sede Apost^a^ sententiam, causam trium Cap.^rum^ definire tentarent, Synodum celebrant de Constituto post viginti primos dies edito, nihil omnino scientes, adeoque et agentes mala fide, et contrariam Pontificiae sententiam ferentes. Erat ergo

eorum Patrum sententia ut scholasticè loquimur et materialiter et formaliter illegitima.

Anno 681, celebrata est Synodus Oecumenica sexta, Constantinopª tertia, pro damnandis Monothelitis. Hujus Synodi hæc fuit occasio. Theodorus Pharanites, dein Cyrus Alexandrinus, postea Sergius Constantinopᵘˢ occulti Eutychiani duas quidem in Chº naturas prædicabant, juxta Concilium Chalcedonense, sed contradicebant confessioni suæ dicendo, non esse in Chº duas voluntates et operationes, divinam scilicet unam, et humanam alteram, sed unum tantum tum operationem tum voluntatem, quam vocabant Theandricam. Quam hæresim ut facilius propagaret Sergius, scripsit ad Honorium Papam, non videri sibi unam dicendam esse Chⁱ voluntᵗᵉᵐ et operatᵗᵉᵐ eo quod peregrina videatur et quorumdam aures perturbet, existimantium hac locutione tolli dualitatem naturarum; sed neque duas voluntates et operationes videri dicendas, quod hæc locutio a nullo sanctorum et probabilium Ecclesiæ Doctorum edita sit: quinimo contrarietatem innuat divinæ et humanæ in Chº voluntatis. — Respondet Honorius : "Et nos quidem secundum sanctiones divinorum eloquio

rum oportet sapere vel spirare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noscuntur Sanctis Dei Ecclesiis scandala generare, ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur: aut certe si rursus unam operationem D^ni^ N^i^ J.C. fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur". — Deinde Sergius inducit Heraclium Imperatorem ad statuendam Ecthesin qua prohibeat doceri sive unam sive duas in Ch^o^ volunt^es^ et operat^es^. Magnæ hinc turbæ in Oriente.

Demum anno 681 Synodus Œcumenica, præsentibus et consentientibus Legatis S. Agathonis Papæ damnat Honorium, Sergium, Cyrum, etc. Hinc in conventu Gallicano celebrato auctoritate Ludovici XIV. concluditur Romani Pontificis solemnia de fide Decreta non gaudere suprema auctoritate, sed esse reformabilia, i.e., rejici ac damnari posse. Sic saltem arguit ille homo qui defensionem Declarationis Cleri Gallicani conscripsit.

Advertat hic Catholicus 1°. non esse datam ab Honorio Papa, legem ullam aut definitionem, sed meram adhortationem: "hortantes vos", ait Honorius "ut unius aut geminæ novis introductum operationis vocabulum aut..

gientes"; ergo primo nihil hic definitur, sed tantum adhortatio fit.

2º) Nihil hic de ipsa fide dicitur, sed quibus vocibus uti non sit oportunum.

3º) Honorius hæc dicit in Epist. privata, ad unum hominem Scil. Sergium. Erat autem hæc epistola tam ignota ut per plures annos nec Romæ nec in Oriente quisquam de ea locutus inveniatur, ac ipse Honorii successor Joannes nonnisi ex Honorii amanuensi eam cognoverit. Non egit ergo hac in re Honorius adhibito, ut solebant in quacunque definitione qui ante vel post Honorium vixere Pontifices, Romano Concilio, seu Episcoporum, seu Presbyterii Romani, seu Cardinalium. Ergo non est locutus ut caput Ecclesiæ Romanæ, qui nulla ejus membra habuit in ista re sibi cooperantia.

4º) Nec sexta, nec Octava Synodus Œcumenica nec proinde Romani Pontifices qui eis præsederunt easque approbarunt, consideraverunt unquam Honorii Epistolas duas tanquam Sedis Apostolicæ decretum. Nam in hoc ipso Concilio, approbantibus Legatis Agathonis damnatur Honorius ut hæreticus, i. e. fautor hæresis et tamen Agatho, in Litteris quas Concilium et Imperator suscipiunt et agnoscunt ut a summo Apostolorum vertice divine præscriptas, profitetur (Labbe. Tom. 6. p. 636.) "quod beatus Petrus spiritales oves Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium terna commendatione

pascendas suscepit: cujus adnitente praesidio hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis semper omnis Catholica Ecclesia et universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt.... quæ (Ecclesia Romª) per Dei Omnipotentis gratiam, a tramite Apostolicæ Traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum principibus, illibata fine tenus permanet, secundum Ipsius Dni Salvatoris pollicitationem, quam suorum Apostolorum Principi in sacris Evangeliis fatus est, Petre, Petre, inquiens, ecce Satan expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos."

Octava Synodus Œcumenica, Constª 4ª actione 10ª anathema dicit omnibus hæreticis, ac nominatim ipsi Honorio ob ejus ad Sergium Epistm. Et tamen hæc eadem Synodus Act. 1ª subscribit professionem fidei præscriptam ab Hadriano Papa, cujus ista sunt verba: "quia non potest prætermitti Dni J.C. sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam me

am hoec quoe dicta sunt rerum probantur effectibus; quia in sede Apostolica immaculata est semper Cath.ª servata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et Patrum et praecipue Sanctorum Sedis Apostolicoe Proesulum sequentes in omnibus Constituta, anathematizamus omnes haereticos simul cum Iconomachis." Ergo juxta Synodum 8^am^ Epist.ª Honorii non censebatur pertinere ad Constituta Proesulum Sedis Apost.ᶜᵃᵉ.

5º) Observandum est delictum Honorii non in eo consistere quod ullum dogmaticum errorem docuerit, sed quod insignem imprudentiam commiserit, quum repudiavit, etsi tantum per modum privatoe adhortationis, usum eorum vocabulorum sine quibus depositum fidei custodiri non poterat; quod ipse quidem non prævidebat quia dolum in Sergio non suspicabatur. Existimabat Honorius ad praecavendam turbationem quoe ex novis locutionibus in rebus fidei oriri solet, ac potissimum in Oriente solebat, astinendum esse ab illa locutione qua praedicaretur unam esse in Ch.º Volunt.ᵗᵉᵐ, unam operation.ᵉᵐ, quia possent simplices credere unam tantum esse in Ch.º naturam: ac etiam ab illa abstinendum esse qua diceretur duas esse in Ch.º Volunt.ᵗᵉˢ et duas operat.ᵉˢ,

tum ne populi suspicarentur duas esse in Chº personas, ut Nestoriani volebant, tum ne putaretur fuisse in Chº contrarias voluntates, quod etiam libenter admisissent Nestoriani. Itaque in eo errabat Honorius, quod quum dualitas voluntatum et operationum, sit implicite formaliter contenta in dualitate naturarum, non videret dualitatem naturarum non posse prædicari quin per consequentiam necessariam et formaliter in revelato dogmate dualitas naturarum contentam, prædicari deberet et dualitas voluntatum et dualitas operationum. Dicebatur ergo haereticus, adeoque adversari dogmati catholico, quia practicam hujus dogmatis consequentiam, prædicationem scil. duarum Volᵐ et duarum operat.ᵐ suadebat evitari, i.e., quia, ut aiebat Leo II in Epistola ad Constantinum, immaculatam fidem maculari permisit (   ).

6º) Quantumlibet imprudenter seu præcipitanter Honorius egerit, tamen teste Hadriano 1º. Synodus sexta " in Honorium post mortem anathema non dixisset, nisi ejusdem primæ sedis præcessisset consensus auctoritas." (Labbe. Tom. 8. pag. 1091.)

Omissis iis omnibus argumentis quæ legenti historiam Conciliorum generalium passim occurrant, adjiciemus solum unum adhuc testimonium, scil. Florenti Concilii

definitionem, quæ sic sonat: "Item, diffinimus Sanctam Apostolicam sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Principis Apostolorum, et verum Chi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, et omnium Christianorum Patrem ac doctorem existere; et Ipsi in Beato Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a Dno N. J.C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur."

Objectiones

petitæ ex Decretis Synodi Constantiensis et Basilëensis

Obj. 1. In sess. 5ª Synodi Constantiensis habemus factum fuisse et approbatum Decretum hujus tenoris:

"Hæc Sª Synodus Constª generale Concilium faciens pro extirpatione Schismatis ipsius, et unionione et reformatione Ecclesiæ Dei in Capite et in membris, ad laudem Omnipotentis Dei, in Spiritu Sº legitime congregata ad consequendam facilius, securius, liberius Unionem et Reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, definit, decernit et declarat ut sequitur.

Et primo declarat quod ipsa in Spº Sº

legitime congregata Concilium generale faciens et Ecclesiam Cath.^{cam} repraesentans, potestatem a Ch.^o immediate habet, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem et extirpationis dicti Schismatis, et reformationem dictae Ecclesiae in Capite et in membris. — Item declarat quod quicunque cujuscunque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut praeceptis hujus sacrae Synodi, aut cujuscunque alterius Concilii gen.^{lis} legitime congregati, super praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignae Poenitentiae subjiciatur, et debite puniatur."

Resp. 1º Decretum istud pro extirpando hoc schismate fuisse legitimum, et nihil inde sequi contra supremam potestatem Pontificis veri et certi.

Nam a) ipsum Concilium restringit Decretum suum ad casum schismatis seu praesentis seu futuri, in quo scil. inter contendentes de Pontificatu nullus est cujus electionem universa Ecclesia agnoscat ut legitimam, adeoque nullus qui non sit Papa dubius. Jam vero

Papa dubius est Papa nullus, eo quod Juris electio dubia est Jurisdictio nulla. Praeterea certum est Chm Dm eo ipso quod Ecclesiam voluit gubernari a Petro et Successoribus ejus, dedisse Ecclesiae potestatem, imo et officium providendi sibi de Capite indubitato; adeoque ad extinctionem Schismatis condendi Decreta quae visa fuerint ad hunc finem conducere.

B) Confirmat interpretationem modo datam Card. Cameracensis Petrus de Alliaco suadet ut nec simplices Presbyteri imo nec Laïci careant in hoc Concilio Jure Suffragii: ait enim aliter esse procedendum in hoc Consti Conco, quam in aliis Concis oecumicis observatum fuit: "Les S.S. Pères traitaient dans les Conciles généraux les points qui concernent la foi et les sacrements, et en général tout ce qui appartient uniquement à la Religion. C'est aussi de quoi parlent souvent les loix Canoniques. Mais il ne s'agit point de cela aujourd'hui : nous cherchons seulement les moyens d'exterminer le Schisme." Ad exterminandum autem Schisma erat sane magni ponderis laïcorum seu Principum ... Doctorum suffragium.

Haine Resp. 2o) Constantiense Decretum istud non fuit oecumenici Conci definitio dogmatica.

α) Latum enim fuit hoc decretum per suffragia quatuor, scil. quatuor Nationum, Italicæ, Germanicæ, Gallicæ et Anglicæ, ita ut unius nationis unum esset in publica Sessione suffragium. Suffragium autem cujusque nationis formabatur ex pluralitate suffragiorum in conventu particulari cujusque nationis. Quum ergo in cujusque nationis conventu suffragium ferrent non solum Episcopi, sed etiam inferiores clerici, imo et Laïci, manifestum est Decretum de quo loquimur, ut pote Laïcorum et inferiorum Clericorum suffragio factum, non esse definitionem dogmaticam.

β) Jam vidimus ex Card. de Alliaco Synodo non fuisse propositum condere definitionem dogmaticam, ut in prioribus Conciliis factum fuerat, sed invenire viam extinguendi schisma.

γ) Etiamsi qui aderant Episcopi voluissent condere definitionem dogmaticam, et suffragia sua dedissent, exclusis clericis inferioribus et Laïcis, definitio careret auctoritate cogente, quia Ch^{us} promisit assistentiam suam illi Corpori Pastorum cujus caput sit Petrus aut successor ejus certo legitimus, non vero ulli alteri cœtui Pastorum.

δ) Denique Martinus V durante adhuc Conc. Const. promulgat Bullam dogmaticam contra errores Wickleffi et Hussii, in qua suspectum de hæresi jubet interro

gari": Utrum credat, quod Papa canonice electus qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor Beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia."

Si demum quæras, quonam sensu dixerit Martinus V. Sess. 45. se approbare ea quæ in materia fidei conciliariter decreta fuerant nimirum circa Wickleff et Huss, si reapse nullum decretum dogmaticum ediderunt Patres Constantienses:

Resp: 1°) aliud esse reprobare doctrinam ut notorie contrariam doctrinæ per Ecclesiam sufficienter propositæ, quod quilibet Episcopus potest: aliud est aliquid nondum explicite ab Ecclesia propositum, statuere explicite credendum ab Ecclesia: hoc enim nisi a Capite totius Ecclesiæ fieri non potest, nec est a Patribus Constantiensibus attentatum, nisi in opinione eorum qui dicunt decretum supra citatum Sessionis 5æ propositum fuisse ut fidei articulum. Sed de hoc jam vidimus quid dici possit.

Resp. 2°) Causam Wickleffi et Hussi commissam fuisse judicio Episcoporum deputatorum ad hoc negotium; quorum judicio Synodus in Sess. 15. acquievit. Itaque Laicorum in hoc negotio nulla suffragia deliberativa petita fuerunt.

Obj. 2° Concᵐ Basileënse in pluribus Sessionibus jam inde a Sess. 2ª confirmavit

memoratum Decretum Sess. 5ª Conc. Const.?
Atqui in Sess. 2ª erat Basileense Concm oecumenicum legitimum, et Basileense applicavit Decretum illud ea ratione, ut Eugenius Papa indubitatus censeretur vi hujus Decreti obligatus ad obediendum Patribus Basileensibus. Ergo potestas Papae suprema non est.

Resp. Concm Oecumenicum quantumlibet numerosum, non habet assistentem sibi Xm nisi agat juxta mentem sui Capitis, Romani Pontificis. Eugenius autem, Papa indubitatus nunquam approbavit decretum istud, sed e contrario semper exegit a Basileensi Conc. ut Decretum istud de indubitato Papa revocaret, nec nisi sub hac conditione continuari Concilium permisit. Huic autem conditioni Basileense Concm nunquam satisfecit. Adversariorum ergo est ostendere quonam tempore post Sess. 2m Concilium istud legitimum fuerit.

Prop. 17ª.

Ecclesia Catholica hodierna est illa ipsa Ecclesia quam Xus instituit.

Prob. Ecclesia quam Chus instituit (Prop. 12) est Coetus hominum profitentium Obedientiam erga triplicem potestatem Pastorum, Episcoporum (Prop. 13 et 15) [illegible]

cum Petro aut ejus successore tanquam Centro necessario Ecclesiasticae Unitatis (Prop. 13.)

Atqui Descriptio ista et convenit Ecclesiae Catholicae hodiernae, et non convenit Ecclesiae quae non sit Ecclesia Chi.

Ergo Ecclesia Catholica hodierna, etc.

Prob. Min. 1° Ex unitate Ecclesiae Cathcae hodiernae cum successore S. Petri, et Centro Unitatis divinitus instituto.

Ecclesia Cathca hodierna unita est cum Romano Pontifice ut Centro suae unitatis. Atqui Romanus Pontifex reapse Successor est Sti Petri ut Fundamenti Ecclesiae Chi, et Centri Cathcae Unitatis (Prop. 16.). Ergo Ecclesia Cathca hodierna habet illud Centrum Unitatis Ecclesiasticae, quod a Cho institutum est.

Jam vero Dos ista seu Nota ejusmodi est: quae nequeat attribui Ecclesiae quae non sit Ecclesia Chi. Nam legitimus Petri Successor est Fundamentum Ecclesiae Chi perpetuum (Prop. 13a); ergo Ecclesia Chi semper est conjuncta cum Successore Petri ut Fundamento suo. Ergo vicissim Successor Petri semper est conjunctus cum Ecclesia Chi. Ergo Successor Petri nunquam invenietur in Ecclesia quae non sit Ecclesia Chi.

Prob. Min. 2° Ex Apostolica Successione Pastorum hodiernorum.

Episcopi Ecclesiae Cathcae hodiernae succedunt Corpori Pastorum qui a Cho imme-

diate instituti fuerunt (Prop. 12. et 15. et 13. et 16 Atque corpori horum Virorum promisit Christus perpetuam assistentiam suam in docendo, ministrando, regendo (Prop. 14.) Ergo etiam imposuit Chr.us omnibus fidelibus obligationem obediendi in doctrina, ministerio et regimine corpori Episcoporum Ecclesiae Catholicae hodiernae: quod autem nulla secta acatholica succedat Apostolis patet ex Prop. 7.- et ex Prop. 12. Coroll. 2° 3°. et 4°. Ergo ipsa est vera Ecclesia Christi.

Prob. Minor III°. Ex Catholicitate. Promisit Chr.us Pastoribus Ecclesiae suae efficacem facultatem diffundendi Unitatem in Fide et Dilectione per omnes indiscriminatim gentes, et omnia tempora (Prop. 1[illegible]

Haec facultas, utpote promissa soli Ecclesiae Christi, nequit inveniri in Ecclesia quae non sit Ecclesia Christi — Deinde patet hoc a priori. Omnis enim Ecclesia falsa, ideo falsa est quod non est Apostolica, ideo non Apostolica quia posterior Apostolis et consequenter auctoritatem Apostolicam non admittit, et proinde judicat de religione Christi non ex idoneo testimonio, sed ex proprio ac perverso beneplacito; et proinde quam libertatem ipsa sibi sumit, eamdem relinquit sectatoribus suis, adeoque non dat Ecclesia falsa membris suis Unitatem, sed illimitatam opinandi licentiam. Itaque Catholicitas est unitas diffusa per orbem; ergo [illegible] unitatem diffundere Ecclesia quae unitatem non habet, Catholicitas nulli falsae [illegible]

tribui potest.

Quodsi homo illiteratus existimet esse apud Lutheranos Unitatem quia datur quaedam multitudo hominum quae profitetur se Lutherum sequi, doceatur homo iste Lutheranos non esse Lutheranos ex eo quod profiteantur obligationem ea omnia et sola tenendi quae Lutherus tenuit, quandoquidem ne Lutherus quidem ipse ea constanter tenuit quae Lutherus docuerat, uti patet ex Historia Variationum Lib. 2°. 3°. 4°. 5°. 6°.; sed quod regio in qua nati sunt, sumit a Luthero licentiam opinandi in religione id quod sibi placet, et quod Lutheranae doctrinae aliquas adhuc lacinias retinet. Idem dic de quacunque secta quae nomen ab haeretico traxit. Sed libertas opinandi est apud omnes sectas acatholicas essentialis, dum contra Unitas in hoc illove doctrinae puncto arbitraria est, adeoque accidentalis, et omnino evanescere potest, manente semper eodem nomine Sectae, uti iterum patet ex universa Historia Variationum, et ex ipsa natura principii fundamentalis, scil. libertas opinandi.

Neque melior est conditio eorum qui sive a dogmate quod negant, sive ex ritu quem celebrant, sive undecunque alias nomen sortiti sunt quod specialem sectam sonat: sunt enim haec nomina ejusmodi quae spectata in historica sua genesi fractum ab arbore ramum, praecisum a fonte rivum, id est, separationem ab antiquiori Societate significant, et sectam e multis unam: Unitatem in fide nemo inde colligere potest, ac n. 1

to minus diffusam Unitatem. Igitur quantumlibet late diffundantur Acatholicae sectae, earum diffusio numquam est diffusa <u>professio obligationis unam eamdemque determinatam doctrinam tenendi</u>: sed est diffusa libertas opinandi, diffusum ab Ecclesia Catholica dissidium. Denique non memorat Historia Ecclesiastica ullam gentem quae fuerit per Sectam acatholicam a cultu Idolorum ad cultum unius veri Dei revocata.

Iam quod Ecclesia Catholica Unitatem suam toto Orbe diffuderit ac diffusam servarit, vel inde patet quod Historia Ecclesiae nihil aliud memoret per singulas a Christo aetates quam Ecclesiae Catholicae diffusionem universalem, ejusdemque in una ubique doctrina et hierarchica forma constantiam, non obstantibus Haeresibus, Schismatibus, Persecutionibus.

Porro Ecclesiae Catholicae testimonium, acceptatum <u>in toto Orbe</u>, retentum in toto Orbe <u>per omnes aetates</u>, quin possit in ejus testimonio quidquam inveniri quod cum lege naturali aut divina confligat, probat Veritatem testimonii Ecclesiae Catholicae profitentis se esse Ecclesiam a Christo institutam.

Prob. Minor IV. <u>Ex Ecclesiae Catholicae Sanctitate</u>. Non loquimur hic de Sanctitate Doctrinae quae cum ejus Divina Veritate coincidit, et ex antedictis jam stabilita est, sed de <u>Sanctitate operum</u> Ecclesiae Catholicae, quae in hoc elementari tractatu reducemus ad paucas istas Cate

[illegible].

1ª Categ. comprehendet insigniores in qualibet aetate Sanctos.

2ª Categ. comprehendet gentes ad Veri Dei cultum conversas.

3ª Categ. comprehendet Ordines religiosos; quas tamen Categorias uno Catalogo complectemur.

– Saeculo 1º. –

S.P.P. Linus, Cletus, Clemens.

Ep. Anianus, Alexandriae; Maximus, Aix in Provence; Apollinaris, Ravennae; Dionysius Areop., Athenis;

Martyres. sub Nerone. (Vide Ruinart).

Therapeutae seu communitates religiosae fundatae in Aegypto a S. Marco.

– Saeculo 2º. –

S.P.P. Anacletus, Evaristus, Alexander, Sixtus I., Telesphorus, Hyginus, Pius I., Anicetus, Soter, Elutherius, Victor.

Ep. Ignatius, Antioch. M.; Polycarpus, Smyrn. M.; Theophilus, Antioch.; Marcus, Jerosolym.; Dionysius, Corinth.; Prosdocimus, Patavinus. Melito, Sard.; Pothinus, Lugdun.; Irenaeus, Lugdun.

Martyres: sub Trajano, Adriano, Marco Aurelio, Commodo.

Conversio Gentium. S. Eleutherius roganti Lucio Britannorum Regi mittit Apostolicos Viros Fugatium et Damianum, quorum praedicatione Britanni fidem suscipiunt.

– Saeculo 3º. –

SS. PP. Zephyrinus, Callistus, Urbanus, Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus II., Dionysius, Felix, Eutychianus, Caius, Marcellinus.

Eppi.: Lucianus, Beauvais; Fructuosus, Tarragon.; Babylas, Antioch.; Julianus, Mans; Paulus, Narbonne; Regulus, Senlis; Acacius, Antioch.; Carpus, Thyatirae; Martialis, Limoges; Memmius, Châlons sur Marne; Cyprianus, Carthag.; Firminus, Amiens; Dionysius, Paris; Dionysius, Alexandr.; Saturninus, Toulouse; Gratianus, Tours.

Martyres. Sub Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano.

– Saeculo 4º. –

SS. PP. Marcellus, Eusebius, Melchiades, Sylvester, Marcus, Julius I., Damasus, Siricius, Anastasius.

Eppi. Methodius, Tyri; Jacobus, Nisibis; Hilarius, Poitiers; Athanasius, Alexandr.; Blasius, Sebaste; Pacianus, Barcellonae; Cyrillus, Jerusalem; Zeno, Veronae; Gregorius Nazianz., Gregorius, Nyssae; Optatus, Milevi; Basilius, Caesareae Cappad.; Januarius, Beneventi; Frumentius, in Aethiopia; Martinus, Tours; Nicholaus, Myrae; Eusebius, Vercellis; Ambrosius, Mediolani.

Martyres. Sub Diocletiano, Galerio, Maximin., Licinio, Maxentio, Sapore, Athanarico, Con-

stantio, Iuliano Apostata.

Coenobitae Antonius erigit Monasteria an. 305. Dein Pachomius - Basilius - Augustinus.

Conversio Gentium. Aethiopes conversi per S. Frumentium: Gothi, Suecica gens, amplectuntur fidem Catholicam, multosque dant Ecclesiae Martyres, quamvis Ulphilas qui Theophilo Episcopo, uni e Nicaenis Patribus, successerat, Arianismum apud Gothos disseminaret, tempore Athanarici et Fritegernis.

— Saeculo 5º. —

SS.PP. Anastasius I., Innocentius I., Zosimus, Bonifacius I., Celestinus, Sixtus III., Leo I., Hilarius, Simplicius, Felix II. aut III., Gelasius; Anastasius II.

Eppi. Nathulan, Aberdeen; Ioan. Chrysost. C.P.; Cyrillus, Alexandr.; Patrick, in Irlandia; Hilarius, Arles; Mammertus, Vienne; Epiphanius, Salaminae in Cypro; Paulinus, Nolae; Maximus, Taurini; Lupus, Troyes; Germanus, Auxerre; Vigilius, Tridenti; Palladius in Scotia; Muredach, in Killala, Irl.; Sidonius Apollinaris, Clermont; Severinus, Coloniae; Proclus, C.P.; Gaudentius, Bresciae; Augustinus, Hippone; Eucherius, Lugd.; Remigius, Rheims.

Martyres: in Persecutione Vandalica sub Genserico et

Hunnerico; in Persia sub Varfarane.

Viri Apostolici: S. Maruthas fidem praedicat in Perside.
S. Palladius mittitur a S. Celestino Papa ad Scotos.
S. Ninianus praedicat apud Pictos Meridionales.
S. Patricius praedicat in Irlandia.
S. Severinus praedicat in Austria.
Clodoveus Rex fidem amplectitur cum Francis.

Saeculo 6°.

SS. PP. Hormisdas, Joannes I., Sylverius, Gregorius I.

Eppi. Ennodius, Paviae; Avitus, Vienne; Fulgentius, Ruspensis; Caesarius, Arelatensis; Gregorius, Tours; Leander, Hispali. Gregorius, Langres; Melanius, Rennes; Salvius, Amiens; Theliau, Llandaff in Wales; Praetextatus, Rouen; Proterus, Alexandr.; Tigernach, in Irlandia; Paternus, Avranches.

Martyres sub Longobardis, et sub Vandalis.

Conversio Gentium. S. Eleutherius convertit populum agri Tornacensis;
S. Vedastus convertit eos qui erant in Artois;
S. Paternus convertit eos qui erant in Coutances.
S. Augustinus convertit Anglos.
SS. Columbanus et Gallus convertunt populos circa lacum Constantiae.

S. Paulus de Leon convertit populos Britanniae Minoris.

S. Leander convertit Gothos Arianos in Hispania.

S. Columkille convertit Pictos.

<u>Ordines relig.</u> S. Benedictus fundat Ordinem suum in Monte Cassino.

S. Bride fundat Monasteria Monialium in Irlandia.

S. Columba fundat Monasteria in Scotia et Irlandia.

S. Severinus fundat Monasterium Agaunense.

— Saeculo 7° —

<u>II. Vat.</u> Martinus I. Agatho.

<u>Epis.</u> Beda Londini; Vernigern, Glasgow; Sulpicius Bourges; Ildefonsus Toledo; Joannes, Alexandr.; Lawrence, Canterbury; Amandus Maestricht; Barbatus, Beneventi. Julianus, Toledo; Sophronius, Jerusalem; Braulio, Saragossae; Rupert, Salzburg; Isidorus, Hispali; Fructuosus, Braga; Colman, Dromore, Irl.; Arnulf, Metz; Gery, Cambray; Eulogius Alexandr.; [illegible], Canterbury; Paulinus, York. Justus, Canterbury.

<u>Conversio Gentium.</u> S. Wilfridus convertit Saxones Meridionales.

S. Birinus convertit Saxones occidentales.

S. Felix convertit Anglos Orien_

tales;

S. Ceadda praedicat in Mercia;
S. Paulinus diffundit fidem in Northumbria;
S. Willibrordus diffundit fidem apud Frisones;
S. Kilianus diffundit fidem in Franconia;
S. Eligius diffundit fidem in Flandria.

– Saeculo 8º. –

S.P.P. Gregorius II. Zacharias.

Eppi Aldhelmus, in Anglia; Ven. Beda, in Anglia; Germanus, C.P.; Bonifacius, Maintz; Chrodegang, Metz; Ioannes, Damasci; Burchard, Wirzburg; Willibald, Eichstädt; Virgilius, Salzburg; Wulfran, Sens; Claudius, Besançon; Plechelm, in Guelderia; Corbinianus, Frisingae; Lambertus, Maestricht.

Conversio Gentium. S. Bonifacius convertit Hessios et Thuringios.

– Saeculo 9º. –

S.P. Leo IV.

Eppi. Anscharius, Bremen; Tarasius, C.P.; Nicephorus, C.P.; Ludgerus, Münster; Prudentius, Troyes; Methodius, C.P.; Ralph, Bourges; Swithin, Winchester; Fredericus, Utrecht; Donatus, Fiesoli; Ignatius, C.P.; [illegible], [illegible]nensis, in Gallia.

Conversio Gentium. SS. Cyrillus et Methodius con-

[illegible] Russos in Bulgaria et
Moravia et Bohemia. Missionem
suam acceperunt a S. Ignatio C. P.
non a Photio, et communicabant
etiam continuo cum S. Sede, ut pa-
tet ex Vita Methodii, [illegible]
[illegible]
SS. [illegible] et [illegible] con-
vertunt Danos et [illegible] et [illegible]
[illegible]burgenses.

— Saeculo 10º —

[illegible] [illegible], Winchester; Adalbert, Prague; Gerard,
Toul; Ulric, Augsburg; [illegible], [illegible]burg; Ethel-
wold, Winchester; Cormac, Cashel; Wolfgang,
Ratisbonae; [illegible], Winchester; Conrad,
Constance; Radbod, Utrecht.

<u>Conversio Gentium</u>. Convertuntur Rugi, Hungari,
Borussi,
S. Adalbert convertit Polonos.
S. Bruno, seu Bonifacius diffun-
dit fidem apud Russos.
S. Poppo diffundit fidem in Da-
nia.
S. Sigefrid diffundit fidem in Go-
thia et Suecia.

— Saeculo 11º —

SS. PP. [illegible] Gregorius VII.
[illegible] [illegible] in Anglia; Sigefride, in Anglia; [illegible]
[illegible]; [illegible]; [illegible], [illegible]; [illegible]; [illegible]
[illegible]; [illegible]; [illegible]; [illegible]

[illegible], Cracoviae; Arnulf, Suessionis; Wilhelm, Roschild in Dania; [illegible], Salonicae; Bernward, Hildeshem; [illegible].

<u>Conversio gentium</u>. S. Olaus [illegible] diffundit fidem in Norvegia.
S. Bonifacius Camaldulensis diffundit fidem in Prussia.
SS. Ulfrid et Eschill praedicant fidem in Suecia.

<u>Ordines religiosi</u>. S. Romualdus fundat congregationem Camaldul., sub regula S. Benedicti.
S. Gualbertus fundat congregationem Vallis Umbrosae, sub regula S. Benedicti.
S. Stephanus fundat ordinem Grandimontensem, sub regula propria.
S. Bruno fundat Ordinem Carthusianorum, sub regula propria.
S. Robertus fundat Congregationem Cisterciensem, sub regula S. Benedicti.

— Saeculo 12°. —

<u>Eppi</u> [illegible], [illegible]; Celsus, Armagh; Galdin, Mediolani; Anselm, Cantuariensis; Petrus, in Tarentasia; Ubaldus, Gubbio; [illegible] Herbertus. [illegible].

Anthelm, Bellay; Richardus, Andriae in Apulia; Malachias, Armagh; Thomas, Canterbury;

Conversio Gentium. S. Otho diffundit fidem Pomerania; S. Henricus diffundit fidem in Finlandia; Nicholaus Breakspear diffundit fidem in Norvegia.

Ordines religiosi. Robert d'Arbriselle fundat congregationem Benedictinam in Fontevraud; S. Guilielmus fundat congregationem Benedictinam in Monte Virginis. S. ~~Ivo~~ Ivo Carnotensis late propapagat Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini. S. Norbertus Madgeburgensis novum Ordinem Canonicorum Regularium instituit, eorum scil. qui dicuntur Praemonstratenses. S. Joannes de Matha cum S. Felice Valesio instituit Ordinem SS. Trinitatis ad Redemptionem Captivorum. Lambertus, Sacerdos Leodiensis, cognominatus Le Bègue, fundat Ordinem Beguinarum, quas probe distinguere debes a Beguinis illis quae cum Beguardis damnantur in Concilio Viennensi ob haereses quas profitebantur.

Instituti sunt hoc saeculo etiam Ordines Militares, scil. Ordo Hospitalariorum S. Ioannis Ierosolymitani, sub regula S. Augustini. Erepta Christianis Palaestina, alumni hujus Ordinis Equites Rhodii dicti sunt, et amissa Rhodo Equites Melitenses.

Secundus Ordo Militaris fuit Templariorum, quos duobus post saeculis Concilium Viennense extinxit.

Tertius Ordo Militaris fuit Equitum Teutonicorum.

Quartus ordo fuit Militum Calatravae.

Quintus Ordo Militum S. Iuliani de Peyrero.

Sextus fuit Militum S. Iacobi.

Septimus fuit Equitum Hospitalariorum S. Spiritus.

– Saeculo 13º. –

S.P. Petrus Celestinus V.

Epi. Gilbert, in Scotia; Albertus, Ierusalem; Bonaventura, Albani; Guilielmus, S. Brieve, in Brit. Min. Ludovicus, Toulouse; Thomas, Hereford; Edmund, Canterbury; Hugh, Lincoln.

Conversio Gentium. S. Hyacinthus, Ordinis St. Dominici, mirabili efficacia praedicat Craconiae, Wisgradi, in praecipuis

civitatibus Poloniae, fundat Mo-
nasteria in Dioecesi Cracoviensi, in
Sandomiria, in Plocko, in Moravia
in Prussia, in Pomerania, circa
Mare Balticum, in Camyn, Pre-
mislau, Culm, Elbing, Königs-
berg, in insula Rugen; in pen-
insula Gedan (postmodum Dant-
zig), Fioni in Dania, Suecia-
Gothia, Norwegia praedicat;
revocat a Graeco Schismate
Russiam Minorem; [illegible]
fidem in Russia Majore, fun-
dat Monasterium in Kiow, [illegible]
pertransit Tartariam usque ad
fines Sinarum.

Ecclesia Gnesnensis [illegible] Cano-
nizatur in Capitulo [illegible]
nensi [illegible] ann. [illegible].

[illegible] S. Franciscus Assisiensis fundat
Ordinem Fratrum Minorum.
Fundat quoque cum S. Clara
Ordinem Clarissarum.

S. Dominicus fundat Ordinem
Dominicanorum.

B. Albertus [illegible] Carmelitarum re-
gulam.

S. Raymundus de Pennafort cum
S. Petro Nolasco et Jacobo [illegible]
[illegible] 1223 fundat [illegible]

de Mercede Redemptionis Captivorum.
Fundatur Ordo Servorum B. M. Virginis.
B. Sylvester Gozzolinus fundat Congregationem Sylvestrinorum.
S. Coelestinus id est, Petrus de Morone, fundat Congregationem Coelestinorum sub regula S. Benedicti.
B. Eusebius Archiep. Strigoniensis fundat Ordinem Eremitarum S. Pauli.
Fundatur Ordo Fratrum Militum Hospitalis Leprosorum S. Lazari Jerosolymitani.
Bartholomaeus, Dominicanus, fundat Ordinem Equitum S. Mariae gloriosae.

— Saeculo 14º —

<u>Eppi.</u> Andreas Corsini, Fiesoli; Nicholas, Linkoping, in Suecia; Brynolf, Scara in Suecia; Meriadec, Vannes; Petrus Luxemburgensis, Metz; Petrus Paschal, in Hispania.

<u>Ordines religiosi</u>. Bernardus Ptolomaeus fundat Congregationem Olivetanorum, sub regula S. Benedicti.
S. Brigitta fundat congregationem Brigittinarum sub regula S. Augustini, adjectis qui-

ejusdem constitutionibus ex speciali revelatione.

Petrus Ferdinandus, Hispanus, fundat Ordinem Hieronymitanorum.

Instituti quoque Ambrosiani, Mediolani, sub regula sancti Augustini.

S. Joannes Columbanus fundat Senis in Etruria Ordinem Jesuatorum, quos Clemens IX. an. 1668 suppressit.

Ordines militares instituti sunt: Ordo Montesiae, in Arragonia; et Ordo Christi in Lusitania.

— Saeculo 15°. —

Eppi. Antoninus, Florentiae. Laurent. Justinianus Venetiae.

Viri Apostolici. Vincentius Ferrerius, Ordinis S. Dominici, illius saeculi Thaumaturgus et Apostolus, praedicat Valentiae, Avenione, in omnibus Provinciis Hispaniae, excepta Galicia; et ingentem multitudinem Christianorum, Judaeorum, Mahometanorum convertit. Simili fructu peragrat Languedoc, Provence et Dauphiné; tum praedicat Genuae, in

Lombardia, in Pedemontio, in Sabaudia, in Rheno superiori, in Flandria, in praecipuis urbibus Angliae, Scotiae, Irlandiae, sub Henrico IV.; tum in Gascogne, Picardie; tum in Dijon, Bourges, Tours, Angers, Nantes, ac demum Vannes, ubi diem extremum obiit.

S. Bernardinus, Siennensis, Franciscanus.

S. Ioannes a Capistrano, Franciscanus, mirabili efficacia praedicat in Apulia, Calabria, Napoli; tum in Bavaria, in Austria, in Carinthia, in Moravia, in Bohemia, in Polonia, in Hungaria.

Ordines religiosi. Benedictina Congregatio S. Iustinae prope Patavium restaurat disciplinam Monasticam in Coenobiis Benedictinis Italiae.

Martinus Varga, Cisterciensis Monachus, fundat in Hispania Congregationem S. Bernardi, quae Cisterciensem disciplinam restaurat.

Congregatio Bursfeldensis restaurat disciplinam in Coenobiis Benedictinis in Germania

et in Belgio.

S. Bernardinus Senensis instituit inter Franciscanos reformationem dictam Observantinorum.

S. Franciscus a Paula, instituit Ordinem Minimorum.

B. Joanna Valesia instituit Ordinem Monialium Annunciationis

Beatrix a Silva instituit in Hispania Ordinem Monialium Conceptionis.

— Saeculo 16°. —

S. P. Pius V.

Alii. Joannes a Deo, in Lusitania; Thomas a Villanova; Ludovicus Bertrandus; Franciscus Borgia, Petrus de Alcantara, Carolus Borromeus, Andreas Avellinus, Stanislaus Kostka, Joannes a Cruce, Franciscus Xaverius.

Conversio Gentium. Indiarum et Japoniae gentes convertit miraculis et praedicatione S. Fr. Xaverius.

Americanos convertit S. Lud. Bertrandus.

Matthaeus Ricci fidem infert regno Sinensi.

[illegible] religiosi. S. Hieronymus Aemilianus fundat Ordinem Clericorum Regularium

Somaschae.

S. Ignatius de Loyola fundat Societatem Iesu.

S. Ioannes a Deo fundat Ordinem Charitatis.

S. Theresia instituit Carmelitas Discalceatos.

S. Philippus Neri fundat Congregationem Oratorii.

S. Cajetanus fundat Ordinem Theatinorum.

– Saeculo 17º. –

Franciscus Salesius; Thuribius de Leon; Fidelis a Sigmaringa; Ludovicus Barbadigo; Franciscus Regis; Joseph a Cupertino; Vincent de Paul; Joseph Calasanctius; Camillus de Lellis.

Ordines religiosi. Ordo Visitationis fundatus a S. Fr. Salesio.

Gallica Congregatio Oratorii fundata a Card. de Berulle.

Congregatio Missionis et Sororum Charitatis, pluraque alia Christianae Benificentiae Instituta fundata a S. Vincent de Paul.

Clerici Scholarum Piarum instituti a S. Josepho Calasanctio.

Seminarium Sti Sulpitii fundatur a Ven. Olier.

Congregatio Eudistarum in Gallia fundatur a P. Eudes.

Trappistae fundati a Boutellier de Rancé.

Conversio Gentium. V.P. Joseph Anchieta Brazilianos miraculis ac praedicatione ad fidem perducit.

PP. Societatis Jesu fundant Reductiones Paraguariae, diffundunt fidem apud Mexicanos, Aethiopas, in Chili et Peru; B. Claver Carthagenae; Jogues, Breboeuf, Lallemant apud Canadenses; Cabral in Thibeto; de Nobili et Britto in Indiis; Alii Constantinopoli; in Monte Libano, etc.

Martyres Sinenses et Japones.

– Saeculo 18°. –

Clerus, non Gallicanus, sed Galliarum, vix non totus aut Martyrium subit, aut fidem in exilio confitetur.

Pius VI. moritur Valentiae captivus; in Nomine Libertatis añi. 1793.

– Saeculo 19°. –

Pius VII. captivus in Fontainebleau.

Missiones Catholicae vix non totum Orbem cognitum occupant – Martyres in Tonquino, in Corea, in Syria, apud Maronitas, in Pedemontio seu Novo Regno Italico. Vide Annales Propag. Fidei – History of the Christian Missions, by Marshal – Armonia di Torino – London Tablet – Civiltà – L'Univers – Le Monde, etc.

Ut facilius intelligatur qua ratione Sanctificantem Ecclesiae vim probet Enumeratio maxime illustri

um qualibet aetate Sanctorum, advertenda quaedam sunt.

1º <u>Martyr</u> graece, latine <u>testis</u> est, sed in stylo Ecclesiastico, non quemcumque <u>testem</u> Martyrem dicimus: de illis tantum usurpatur ista vox, qui pro constantia sua in professione religionis vitam profuderunt. Porro uti <u>mendacem testem</u> dicimus eum qui attestatur factum cujus veritatem non cognoscit, ita <u>falsos Martyres</u> dicimus illos qui profitentes falsam religionem, mortem pro ejus defensione inferri sibi patiuntur. Unde, juxta Augustinum, verum Martyrem causa facit, non poena; id est, <u>Verus Martyr</u>, in sensu Ecclesiastico, ille est omnis et solus, qui patitur inferri sibi mortem ob defensionem religionis <u>quam certo cognoscit esse veram</u>. Loquimur hic, ut patet, de adultis tantum.

Undenam autem scimus, eum qui pro religione sua moritur <u>cognoscere certo veritatem religionis suae</u>? Scimus hoc, notitia saltem probabili, ex ipsa ejus qui sic moritur asseveratione et constantia mortem ipsam non refugiente, <u>si aliunde nihil obstat</u>. Nam sicut innatus homini Veritatis amor, facit ut generatim non affirmet nisi id quod verum esse novit aut credit, ita, et quidem a fortiori, fidem merebitur ille qui asseverationem suam ipso suo sanguine confirmaverit. Quodsi ejus asseverationis veritati, non solum aliunde nihil obstet, sed etiam plurimi alii et loco, et tempore, et ingenio, et sexu et aetate diversi, eamdem assertionem suo quoque sanguine confirment, orietur certitudo moralis quanta

maxima esse potest, et de Veracitate et de scientia ejusmodi testium, et consequenter de objectiva Veritate rei quam uniformiter attestantur.

Dixi, si aliunde nihil obstet veritati attestationis. Si enim v.g. praetendat quis certo cognoscere quam religionem Christus instituerit, et tamen rejiciat auctoritatem illius Societatis quae sola exhibere potest testimonium Christo coaevum et non interruptum, manifestum erit hominem aut stupidum esse aut fanaticum.

Jam vero quam primum intelligimus testimonium tot Catholicorum Martyrum parere certitudinem de Veritate religionis pro qua mortui sunt, statim etiam intelligimus et Sanctos esse Martyres quippe qui Divinae Veritati totos se devovent ac immolant, et mirabilem esse vim sanctificantem illius Ecclesiae quae tantam pro Veritate tuenda fortitudinem membris suis infundit.

Ergo eas tantum objectiones refutandas habemus quae auctoritatem testimonii Martyrum viderentur aliquo modo labefactare: cujusmodi sunt tum illae quae asserunt exiguum fuisse numerum Martyrum, tum illae quae Martyrum constantiam non fidei et convictioni, sed humanis seu perversis incitamentis tribuunt, tum illae quae persecutores excusant. Vide Gibbon, Tom. 2., Ruines, de Volney etc.

Verum quia singulas seorsim objectiones examinare nobis per temporis angustias non licet, indicabimus loca unde earum refutatio petatur,

scil. Tertulliani Apologeticum; Baronii Tom. I. II. III. ad art. de Martyribus; Acta Sincera Martyrum, Ruinart; Eusebium Caesariensem, de Martyribus Palaestinae; De Rivaz, de Martyribus Legionis Thebaeorum; Butler, the Lives of the Fathers, Martyrs. Alzog, Kirchengeschichte, etc. — in quibus omnibus ipsi fontes citantur. Ex his apparebit et numerus Martyrum ingens, et ratio ob quam cruciati et occisi fuerunt. — Fanatismi suspicionem propulsamus a Martyribus eo ipso quod fides pro qua moriebantur et fuerat miraculis inchoata, et erat toto imperio diffusa, et nitebatur testimonio universali non interrupto inde a temporibus Christi Dñi.

2. Sanctificantem vim Ecclesiae Catholicae probant etiam tot barbarae gentes revocatae a Polytheismo ad cultum unius Veri Dei, et a ferina ferocia ad observationem legis naturalis. Et hoc argumentum tale est ut admitti debeat ab homine etiam non christiano, qui modo rationem suam consulat.

Si autem respiciamus efficaciam quam Ch. promisit praedicationi et ministerio Pastorum Petro cohaerentium, manifestum erit vim sanctificantem quam Christus Legatis suis contulit, in Ecclesia Catholica per omnes aetates inveniri, in alia ulla Secta Christiana non inveniri, quum nullum omnino documentum historia exhibeat conversae per acatholicam Sectam barbarae nationis.

Habuit quidem Acatholica secta quaecumque suam quamdam diffusionem; sed diffusionem defectionis ab Unitate, non vero diffusionem Unitatis: quae diffusio tamdiu solum duravit, quamdiu extitit localis ac momentanea Occasio defectionis. Ergo in genere testimonii historici diffusio ista nullius momenti est, quia nihil aliud est quam momentanea et violenta separatio quorumdam hominum ab ea Societate quae extitit inde ab initio, et a cujus solius testimonio possumus quidquam de instituta per Christum religione cognoscere.

3. Ordines religiosi coetus sunt hominum tendentium ad perfectam Dilectionem Dei et proximi per observationem Consiliorum Evangelicorum sub regula approbata ab auctoritate Ecclesiastica. Igitur vita quae ducitur in hoc statu, tota ducitur ex praescripto christianae Prudentiae, tota contexitur ex omnium virtutum operibus. Nihil ergo sanctius hac in vita inveniri potest, quam vita religiosa. Iam vero in quolibet Ordine religioso fuisse regulam a plerisque membris valde accurate servatam dum stetit fervor primae Institutionis, patet ex mirabili efficacia qua mores hominum correxerunt magnitudine exempli sui.

Notandum quoque est, non posse Christi esse illam Ecclesiam, quae nullis membris suis vim impertit sufficientem ad stabilem observationem Consiliorum Evangelicorum: certum enim est Christum dedisse Ecclesiae efficaciam

perducendi homines ad servanda consilia, quae frustra data fuissent a Christo, si deesset Ecclesiae ea gratiae mensura sine qua consilia Evangelica non servantur.

4°. Omnium quorum nomina recitavimus Sanctorum nullus omnino est, cujus Sanctitas naturae vires non manifesté transcenderit, aut cujus defuncti memoriam Deus miraculis non glorificarit. Si quis autem hac in re judicio Ecclesiae stare nolit, legat saltem ea historiae documenta quae illorum virorum Sanctitatem adstruunt; inveniet enim tam ingentis virtutis opera, ut cogatur fateri plus quam humanam vim hic intervenisse. Videbit quoque Sanctorum opera sancta profluxisse ex doctrina Catholica ut consequentiam e principio suo: quod longe aliter se habet in bonis Operibus Heterodoxorum, quippe quorum opera bona principiis eorum aut connexa non sunt, aut etiam adversantur.

Postquam ostensum est Veram Christi Ecclesiam non aliam esse quam Ecclesiam Catholicam hodiernam, superest ut videamus quae sint, aut non sint, Ecclesiae Catholicae membra. Quumquam jam probatum sit Ecclesiam Catholicam esse ex Christi institutione compositam ex Pastoribus et ovibus, id est, ex hominibus habentibus potestatem docendi, ministrandi, regendi, et ex hominibus profitentibus obedientiam erga triplicem istam Potestatem Pastorum,

Sequitur 1°) illos ad hanc visibilem Socie

tatem non pertinere, quos competens auctoritas Pastorum a grege separaverit seu excluserit, ob eorum contumaciam sive in errore circa fidem sive in modo divini cultus, sive ob scandalosum quodcunque aliud peccatum. Explicita enim est sententia Christi, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus (Matth. 18.); non esset autem per auctoritatem Ecclesiasticam separatus qui minitantis Ecclesiae vocem audivisset. Ergo talis homo habendus est ut Ethnicus, etc.

Sententia autem Ecclesiae separantis peccatorem a communione ecclesiastica, privat eum omni jurisdictione in foro tum externo, tum interno, si sit nominatim denominatus; privat eum jure accedendi ad Sacramenta et participandi fructum impetrationis et satisfactionis quam universa Ecclesia applicat membris Ecclesiae; et hanc privationem subit etiamsi non sit nominatim excommunicatus; denique si sit nominatim denunciatus, vitandus est a fidelibus quoad consortium in sacris, i.e. in rebus ad cultum Dei pertinentibus. Quemcunque autem Ecclesia separat a grege Christi, eumdem eodem jure separatum tenet, donec resipiscat. Ergo sub hoc respectu manet sub Ecclesiae potestate, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus: perinde ac profugus miles manet sub potestate Principis, quamdiu quidem versatur in territorio Principis.

Sequitur 2°. pertinere ad Ecclesiam, non qui_

dem in re, sed in voto eos omnes, qui baptismum accipere quidem non possunt, sed sincere desiderant ex fide quam jam conceperunt. Est enim baptismus introitus in Ecclesiam, id est, in eum novae vitae statum in quo potest homo, atque ex divina ordinatione debet, et potestati docenti obedire, et a ministerio Ecclesiae salutis fructum percipere, et ad potestatis gubernativae leges mores suos componere. Ita 1. Cor. 12, 13. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum Corpus baptizati sumus. Ergo quisquis sincere desiderat baptismum, desiderat eo ipso ingredi Ecclesiam seu Societatem illam cujus membrorum essentialis dos est professio obedientiae erga triplicem potestatem Pastorum. Si jam quaeras quomodo possint catechumeni ulla ratione ad Ecclesiam pertinere quum potestati Ecclesiasticae nulla sint ratione subjecti: Respondeo Cathecumenorum esse aliquam, licet inchoatam solum, subjectionem erga potestatem Ecclesiae docentis, quia fidem Ecclesiae jam receperunt; non recepissent autem nisi auctoritatem Ecclesiae docentis agnovissent. Unde patet hanc responsionem nihil aliud quam explicationem esse illius pervulgati principii, Cathecumenos non pertinere ad Ecclesiam nisi ratione fidei, seu voti in ea contenti.

3° Homines baptizati qui grave peccatum committunt separantur ab Ecclesia minus aut magis aut etiam totaliter pro natura et no

torietate peccati. Quod ut explicetur, notandum est.

α) Baptizati hominis conjunctionem perfectam cum Ecclesiae capite Christo includere fidem, spem et charitatem, harumque virtutum actus externos divina lege praeceptos, qui quidem omnes comprehenduntur in externa obedientia erga triplicem potestatem Ecclesiae. Hinc e converso quot sunt hominis baptizati ad Christum conjunctiones seu vincula, tot sunt ejus a Christo separationes, prout rumpitur vinculum unum, aut plura, aut omnia; prout etiam rumpitur vinculum internum aut externum.

β) Interna conjunctio cum Christo capite per virtutes Theologicas vocatur ab Augustino et caeteris post eum theologis, conjunctio cum anima Ecclesiae, quia sicut hominis corpus, humanum facit ac vivum anima rationalis, ita christianum hominem, sanctum faciunt Theologicae virtutes, et efficaciter inducunt ad externam professionem suae cum Christo conjunctionis. Igitur conjunctionem nostram cum anima Ecclesiae interrumpit amissio charitatis, fitque interruptio major si amittatur et spes, fitque demum plena quum amittitur ipsa fides.

Externa autem conjunctio nostra cum X^to. consistit in externa professione Obedientiae erga triplicem potestatem Pastorum quos Christus sibi in visibili regimine substituit. Hanc autem

professionem aliquatenus labefactat externa violatio legum; magis adhuc labefactat contemptus Auctoritatis ministrantis separationem; penitus autem evertit illam professionem contemptus sententiae pronunciantis separationem: est enim tunc separatio utrinque completa. Caeterum quod peccatum grave externum, praecise qua tale, non disrumpat nexum socialem Ecclesiasticum, vel inde patet quod Sacramentum Poenitentiae institutum est a Christo cum tanta amplitudine efficaciae, ut in subjecto non contumace, delere possit peccata quantumvis enormia. Patet hoc idem ex Parabolis quibus comparat Christus Ecclesiam nunc agro in quo sunt zizania, Matth. 13.; nunc areae continenti triticum et paleam Luc. 3.; nunc reti continenti pisces bonos et malos. Matth. 13.. Et 1. Cor. 5. Incestuosus Corinthiis jubetur ejici ex Ecclesia; Ergo ante ejectionem erat adhuc in Ecclesia. Et Matth. 18. jubetur peccator in ultima instantia deferri ad tribunal Ecclesiae, et tunc primum dicitur habendus pro Ethnico et Publicano, si Ecclesiam non audierit.

4. Sequitur etiam ex antedictis, Ecclesiam non componi ex solis Praedestinatis: Componitur enim e Pastoribus qui cognoscunt oves, quas pascunt doctrina, Sacramentis, et regimine coërcitivo et ex ovibus quae cognoscunt quarum Pastores debeant, quorum non debeant agnoscere auctoritatem: Praedestinati vero, seu Pastores se...

Oves, prorsus ignoti sunt.

Corollarium hujus 1ae Partis.

Ergo vera religio ea demum est quam profitetur Ecclesia Catholica.

Nam vera est Religio illa quam promulgavit Legatus divinus; atqui Jesus Nazarenus Legatus divinus est, Messias videlicet ille in Veteri Testamento praenuntiatus, ut constitutus a Deo et Doctor et Fundator et Rex Sempiternus Ecclesiae Universalis, ac Perpetuae; et in Novo Testamento exhibitus et comprobatus ut Messias per Miracula, perque Institutionem Ecclesiae Universalis (Prop. 9.10.11.12.) Ergo promulgata a Jesu Naz. religio vera est.

Jam vero religio tradita per Corpus Pastorum quod J. Xus (Prop. 12.13.) instituit, est infallibiliter ipsa illa Religio quam J. Xus docuit (Prop. 14.) Ergo infallibiliter vera est Religio quam docet Pastorum Corpus a Christo institutum.

Hoc autem Corpus Pastorum non aliud est quam Corpus compositum ex Episcopis conjunctis cum Petro et successoribus ejus Romanis Pontificibus (Prop. 15.16.); Ergo, quum Corpus istud Pastorum, non sit aliud quam Corpus Pastorum Ecclesiae Catholicae, religio Christi adeoque vera Religio ea demum est quam profitetur Ecclesia Catholica.

— Pars 2a —

Ubinam inveniatur Dei Verbum illud quod Ecclesia credendum proponit.

Huic quaestioni respondet Ecclesia in Concilio Trid. Sess. 4.. "Sacrosancta et Oecumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut, sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod, promissum ante per Prophetas in Scripturis Sanctis, Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis et salutaris Veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari jussit; perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes Libros tam Veteris quam Novi Testamenti, quum utriusque unus Deus sit auctor, necnon Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a X^to^, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur."

Postquam autem Synodus enumeravit in eodem Decreto singulos libros Scripturarum Canonicarum, subjungit: "Si quis

autem Libros istos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in Veteri vulgata latina Editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, Anathema sit."

Post probatam Prop. 9ª summam auctoritatem historicam Catholicae Societatis, post probatam inde usque ad Prop. 14. Infallibilitatem Ecclesiae Christi, post probatam Prop. 17 identitatem Ecclesiae Catholicae hodiernae cum Ecclesia Christi, non est amplius necesse, spectato ordine logico, probare veritatem, i.e. certitudinem seu historicam seu divinam eorum quae in adducto Decreto Synodi Tridentinae continentur, quandoquidem Decretum hoc admittitur a toto Corpore Pastorum, et consequenter a tota Ecclesia, ut interim nihil dicamus de auctoritate Synodorum generalium, de quibus agetur in 3ª Parte. Illa ergo quae hic de Traditionibus et Scripturis dicemus, explicatio erunt et confirmatio non vero suscepta ex professo Probatio quippe quae in praecedentibus Propositionibus jam data est. Ducem autem hic habemus Ven. Bellarminum, ex quo, in gratiam eorum qui Opus ejus ad manum non habent, excerpimus ea quae sequuntur.

Quid sit et quotuplex distinguatur Traditio.
Traditio de qua nunc sermo est, non est ipsum vehiculum quo transmittitur ad posteros doc...

[illegible] ea est quae illa [illegible] Trans-missa.

Hic atque [illegible] Scriptura transmissa Traditio [illegible], quoniam [illegible] scriptura, sic [illegible] solum Doctrina Transmissa Traditionis nomen obtinet, quod [illegible] tradita et [illegible] non fuit primo [illegible] scripta. Sic [illegible] Traditionis [illegible] in baptismo quas [illegible]

Divisio Traditionum altera [illegible] ratione Materiae altera ex ipso Auctoribus.

Ex Auctoribus [illegible] Traditiones in Divinas, Apostolicas, Ecclesiasticas.

Divinae dicuntur, ait Bellarminus [illegible] quae accepta sunt ab ipso Christo Apostolos docente, et nusquam in divinis litteris inveniuntur: Tales sunt ea quae ad materiam et formam Sacramentorum pertinent.

Apostolicae Traditiones proprie dicuntur illae quae ab Apostolis institutae sunt, non tamen sine assistentia Spiritus Sancti, et nihilominus non extant scriptae in eorum Epistolis: quale est Jejunium Quadragesimae et Quatuor Temporum.

Ecclesiasticae Traditiones proprie dicuntur consuetudines quaedam antiquae, vel a Praelatis vel a Populis inchoatae quae paulatim tacito consensu populorum vim legis obtinuerunt.

Divisio Traditionum ex earum Materia distinguit Traditiones de Fide et Traditiones de Moribus

Rursum Traditio de Moribus, alia est perpetua ut quod certis diebus Jejunia ac Festa sint celebranda: alia Temporalis, ut Observatio quarundam legalium caerimoniarum decreta Act. 15.

Iterum alia est Universalis quae tote Ecclesiae celebranda praecipitur, ut festum Paschae, Pentecostis, etc: alia Particularis quae traditur uni tantum aut pluribus Ecclesiis, ut Jejunium Sabbathi quod Romae servabatur, non Mediolani.

Demum alia Necessaria est, quia traditur per modum Praecepti: alia Libera, quia traditur per modum Consilii, ut Aspersio aquae benedictae.

Prop. 18ª

Dantur, nullibi in Sacris Bibliis consignatae quae continent Dei Verbum ad salutem Ecclesiae prolatum

Prob. 1° Ex facto. Proponit Ecclesia quosdam articulos fidei, qui in Scripturis Sacris nuspiam inveniuntur. Atqui doctrina fidei non contenta in Scripturis Sacris vocatur Traditio continens Dei Verbum ad salutem Eccl^ae^ prolatum. Ergo dantur traditiones etc.

Prob. Maj. Materia et Forma Sacramentorum et Poenitentiae et Matrimonii, itemque forma Confirmationis et Extremae Unctionis. Valide et licite baptizari infantes – Hos determinate Libros, nec plures, nec pauciores esse Scripturarum Sacrarum – Item Mariae perpetua Virginitas et Immaculata Conceptio – Articuli sunt fidei Catholicae, et tamen in Scripturis non inveniuntur.

Prob. 2: Ex doctrina Patrum. S. Irenaeus lib 3. cont. haeres. cap 4. "quid autem, si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderant iis quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes."

S. Basilius Lib de Spiritu S°. cap 27. "Dogmata quae in Ecclesia servantur et praedicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recepimus".

S. Chrysostomus in 2. Thessal. 2. "Patet quod non omnia per Epistolam tradiderint Apostoli, sed multa sine litteris. Eadem vero fide digna sunt tam ista quam illa"

Epiphanius haeresi 61 Apostolicorum: "Oportet et traditione uti: non enim omnia a divina Scriptura accipi possunt"

Tertullianus Libr. de Praescriptionibus c. 19. docet non esse cum haereticis disputandum ex Scripturis, sed ex Traditione quae ostendit Scripturarum interpretationem authenticam non esse a X°. commissam nisi Pastoribus quos X.us instituit, nec inveniri alibi quam in doctrina quae ab Apostolicis Ecclesiis ad omnes alias uniformiter diffusa est.

Cyprianus Epistolarum lib. 2. ep. 3: "admonitos nos scias ut in calice offerendo Dominica traditio servetur ....et Calix qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur."

Augustinus Epist 118. "Illa autem quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis conciliis quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata atque statuta retineri: sicut quod Domini Passio et Resurrectio et Ascensio in coelum, et adventus de coelo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebratur."

Adjungimus jam ex Ven. Bellarmino quatuor Regulas ad dignoscendum Traditiones proprie divinas et proprie Apostolicas.

1º Reg. Quando universa Ecclesia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur, quod non invenitur in Scripturis, divina haec Traditio est. Ratio est quod Ecclesia non amplectitur ut fidei dogma, nisi id quod infallibiliter revelatum a Deo per Apostolos aut Prophetas revelatum.

2º Reg. Quando universa Ecclesia aliquid servat ut a solo Deo institutum, quod tamen in Scripturis non invenitur, etiam divina haec Traditio est.

3º Id quod in tota Ecclesia servatur et non a Deo, nec ab ullo Pontifice aut Concilio, sed quasi ab Apostolis semper institutum, merito dicitur Traditio Apostolica: quia etsi prae-

[illegible] illius auctoritatis, non alia [illegible] quam ista quae toti Ecclesiae [illegible] id servandum [illegible].

4ª Id quod graves auctores, [illegible] [illegible] viam affirmant Apostolicam Traditionem esse, aliis patribus non [illegible] rito dicitur Apostolica Traditio. [illegible] Applicatur haec regula iis praecipue ritibus [illegible] [illegible] fit apud Tertullianum in Libro de corona militis c. 3. 4. et Basilium in Lib. de Spir. S.º c. 27.

Prop. 19ª

Libri Veteris ac Novi Testamenti, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, in veteri Vulgata Editione latina, continent Dei Verbum, inspirante ac movente Deo conscriptum.

Explico. Dicitur Libri Vet. N. Testamenti, ii nimirum quos hoc generali nomine comprehendit, [illegible] Ecclesia in Trid. Sess. 4.

Dicitur prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, quia [illegible] generalis, est Canon seu Catalogum determinans cum certitudine qui Libri sunt pro sacris habendi.

Dicitur legi consueverunt in veteri Vulgata Latina Editione, illa scilicet quae partim ex Hieronymi [illegible] [illegible] S. Isidori [illegible] [illegible] controversias.

Dicitur autem, legi consueverunt, ut [illegible],

nomine Vulgatae non intelligi nisi textus illos qui in diversorum temporum Exemplaribus Vulgatae ita uniformes manserunt, ut non possit prudenter dubitari quin ad Hieronymi Vulgatem pertinuerent.

Dicitur continent Dei Verbum inspirante ac movente Deo conscriptum, ut significetur Deum ipsum Auctorem esse, non solum doctrinae quae in his Libris consignata est, sed ipsius quoque Scriptionis qua consignata est. Et hac in re differt Scriptura a Traditione, quum haec Verbum Dei repraesentet quoad sensum solummodo, non vero sub definita forma Verborum

Probatur. Ecclesia Cathª. Trid. Sess. 4. definit sub anathemate sequentia: "Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina Editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit. . . . Anathema sit"

Tum in Decreto subsequente, haec addit: "Insuper eadem Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis Editionibus quae circumferuntur Sacrorum Librorum quaenam pro Authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa Vetus et Vulgata Editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo eam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat."

Utque ex Prop. 9ª et 14ª citatum Ecclesiae testimonium irrecusabile est, sive cum Holden in

analysi Fidei (Bille de Venu, Dissertation sur la canonicité) teneas sufficere hoc loco historicam auctoritatem testimonii Ecclesiae, sive cum Rev.mo Kenrick (Tom. I pag. 373) requiras Infallibilitatem divinam Ecclesiae docentis; posita autem Veritate testimonii dati ab Ecclesia in Trid. sess. 4. stat etiam Veritas Propositionis nostrae 19.ae Ergo etc.

Probatur Minoris 2.a pars. scil. posita Veritate etc. Nam Prop. 19.a excepta ultima parte, ipsis Tridentini Verbis concipitur. Ultima autem pars probatur ipsa terminorum explicatione. Etenim.

α) Quos in extrema parte Decreti de canon. Script. Tridentinum Sacros Libros appellat, eorum in priori parte Decreti Auctorem dicit Deum, quum ait, "omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, quum utriusque unus Deus sit auctor ...... pari pietatis affectu ac reverentia (Synodus) suscipit." Atqui in Theologorum stylo, liber inspirante Deo conscriptus idem sonat ac liber cujus Deus ipse sit Auctor. Quum autem Tridentinum dicit, libros qui in veteri Vulgata Editione latina continentur, esse sacros, non significatur Auctorem latinae Versionis esse Deum, sed Autographi duntaxat quod in fideli Versione Vulg. repraesentatur.

β) Nomine Librorum Sacrorum, Sanctarum Scripturarum, Ecclesiastica Antiquitas esse Libros designat, quorum conscribendorum ipse Deus Auctor fuit.

S. Gregorius M. praefat. in Job. "Sed quis haec scripserit valde superflue quaeritur, quum tamen Auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur.

Ipse igitur haec scripsit, qui haec scribenda dictavit. Ipse scripsit qui et illius operis inspirator exstitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos ejus gesta transmisit. Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset, epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare. Quum ergo rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, quid scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo percunctamur!" Igitur Scriptor sacer, scriptor inspiratus, et Spiritus Sanctus, proprie auctor est scriptorum.

S. Augustinus de Civitate Dei, Lib 11. Cap 3. "Hic prius per prophetas, deinde per se ipsum, postea per apostolos, quantum satis esse judicavit, locutus, etiam Scripturam condidit, quae canonica nominatur, cujus eminentissimae auctoritatis fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit, nec per nos ipsos nosse idonei sumus."

S. Joannes Chrys. Hom. 9. in Tim. postquam adduxerat Apostoli verba dicentis, Omnis scriptura divinitus inspirata et utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, subjungit: "Omnis! Quamnam? de qua locutus sum, inquit, omnis de qua loquebatur, de qua dicebat: ab infantia sacras scripturas nosti. Omnis ergo talis divinitus inspirata est."

Origenes contra Celsum lib 5. cap 60.: "Vicemus in confesso esse apud utrosque (Judaeos et Christianos) Libros (Judaeis sacros) divino Spiritu prius scriptos."

Clemens Alexandrinus, cohortationis ad gentes num. 9., pag 68. edition Oxon. post allata varia testimonia ex Veteri et ex Novo Testamento, subdit: "Possem tibi Scripturas afferre innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit, qui non perficiatur. Os enim Domini, Spiritus Sanctus ea est eloquutus."

Hinc etiam tum in Scripturis Sacris, tum in scriptoribus Ecclesiasticis passim designantur Biblia Sacra ut Eloquia Dei, divina Oracula, Scripturae divinae.

Denique 2. Tim. 3, 6. Omnis Scriptura utpote divinitus inspirata, utilis est ad docendum etc.; aut ut in Graeco habemus inspirata et utilis est ad etc. Loquitur autem Apostolus de Sacris Litteris, quas etiam Scripturas Sanctas vocat Rom. 1.2.

Habemus igitur ex Decretis Tridentinis haec tria.

1) Librorum Veteris ac Novi Testamenti, consideratorum ut e calamo cujusque Sacri Scriptoris prodierunt, Auctor ipse Deus est. Exprimitur hoc idem in Decreto Florentino pro Jacobitis, ubi legimus: "Unum atque eumdem Deum Veteris ac Novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum atque Evangelii (Sancta Romana Ecclesia) profitetur Auctorem: quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti loquuti sunt."

2° Libri qui enumerantur in Decreto Trid. sunt canonici, id est generali usu Ecclesiae habiti pro Sacris in omni textu quem Ecclesiae Universalis usus recepit.

3° Ecclesia Universalis per multa jam saecula veterem Vulgatam versionem latinam recepit ut sacrorum omnium versionem fidelem, eam quae sic recipiendo Authenticam declaravit.

Ea quae nunc explicanda sunt de tribus his capitibus, afferemus in solutione Objectionum.

Objectiones

quibus contenditur, vel nullus, vel non omnes Sanctarum Scripturarum partes ex Inspiratione divina conscriptas esse.

1° Contra Inspirationem cujuscunque partis Scripturae Sacrae, sic objici potest

a) Non operatur Deus Miracula absque necessitate; Inspiratio autem miraculum est; ergo Inspiratio locum non habuit, nisi fuerit necessaria. Nam fuit autem necessaria: tum quia, fatentibus ipsis Theologis Catholicis, Scriptura Sacra non fuit absolute necessaria; tum quia, si Deus voluit fidem nostram, scripto Verbo suo stabilire, abunde suffecisset Scripturae historica Veritas, absque Inspiratione.

Respondeo, Dist. Maj. absque necessitate absoluta, N. plurima enim facit ad finem intentum non absolute necessaria, sed quae assecutionem ejus multo reddunt faciliorem, quod tum in naturae, tum in gratiae ordine videre est. Nihil facit absque necessitate finis ac facilitatis qua assecutionem ejus obtineri vult. C. M. Scilicet totum negotium religionis ordinavit Ille qui dixit se venisse ut homines vitam habeant, et abundantius habeant (Joan. 10), et in

qui habemus redemptionem .... secundum divitias gratiae ejus quae superabundavit in nobis(Eph 1) qui ergo Verbum suum Incarnatum dedit, quare Scriptum non dedisset?

Hinc ad subsumptum, Respondeo: Concedo Scripturam ex Inspiratione scriptam non fuisse absolute necessariam ad salutem, sed affirmo fuisse absolute necessariam ad eum gradum facilitatis quo voluit salutem a nobis obtineri posse.

β) Fuit quorumdam Catholicorum Opinio librum humana industria scriptum sine assistentia Spiritus Sancti, qualis forte sit 2us Macchabaeorum, effici Scripturam Sacram, si Spiritus Sus postea testetur nihil ibi esse falsum. Atqui in hac sententia, omnes Libri Scripturarum possunt esse Sacri absque ulla Inspiratione, quandoquidem Spiritus Sus per Ecclesiam attestatur Libros Omnes qui Sacri vocantur, nihil continere quod falsum sit. Ergo nullatenus necesse est agnoscere Libros qui Sacri dicuntur, esse Inspirante Deo conscriptos.

Respondeo, Concedo Maj. sed non quaerimus hoc loco unius alteriusve theologi, verum Ecclesiae sententiam. Unde Transmissa Min., Nego consequentiam deductam esse ex principiis admissis ab Ecclesia.

2o. Objicitur, etsi aliquae Scripturarum partes, sint inspirante Deo conscriptae, tamen non omnes: idque asseritur ob rationes sequentes.

α) Multa enim quae in Sacris Libris continentur erant Sacris Scriptoribus jam antequam ea scriberent, naturaliter nota ex visu vel auditu. Ergo ad haec

conscribenda non necesse fuit Inspiratio.

Resp. Nego Consequentiam: Inspiratio ad scribendum requiritur ad hoc ut scriptura et scriptio divina dici possit: hanc autem Inspirationem, Notitia rerum scribendarum, sive sit naturalis, sive sit ex Revelatione nec secum affert, nec supplet quum deest.

β) Spiritus Sancti non videtur posse nisi unum eundemque semper stylum esse. Atqui manifesta est scripturarum in stylo diversitas.

Resp. Operationem Dei in homine solere accomodatam esse aetati, indoli, professioni. Est enim multiformis gratia Dei.

γ) Scriptor libri 2. Macchab. cap. ult. veniam petit si minus bene scripserit. Deinde cap. 2. dicit laborem suum non esse facilem, sed plenum vigiliarum; se conscriptam a Jasone Cyrenaeo historiam breviandam suscepisse; se denique veritatem de singulis, auctoribus ipsis se concessisse, quo videtur significare, sibi curandum esse de brevitate, veritatis examinandae negotium auctorum esse debuisse, non suum. Atqui parum videntur haec singula congruere cum statu Scriptoris inspirati.

Respondeo, Inspiratum esse Scriptorem quempiam posse, quin habeat, quum scribit, certam de Inspiratione sua notitiam: hanc enim non confert nisi Revelatio, et potest hoc Deus Scriptori sacro, aut quum scribit aut postea, aut nunquam revelare: potest enim id revelare cui et quando ad bonum Ecclesiae expedire judicaverit: Inspirationem certe librorum Judith, Tobiae, Macchabaeorum, Judaei nulla

ex authentica revelatione, ante Christum cognoverat teste Josepho in libro 1º contra Apionem. cap. 8. Hoc autem posito, facile intelligitur posse Scriptorem Sacrum, si Inspirationem suam non certo norit, etiam non certo scire utrum sub omni respectu bene seu digne scribat.

Non dicit Auctor iste Sacer, se curam indagandae veritatis reliquisse aliis, ut Objectio fert: sed minutam singularum rerum expositionem reliquisse auctoribus iis, unde compendium ipse suum excerpserat. Vide hujus loci contextum.

Nihil attinet ad Inspirationem hujus Scriptoris sacri, quod sumserit historiam suam ex alio Scriptore non inspirato; sicut nihil ad hanc rem facit vel officit, quod notitiam veritatis historicae hauserit ex visu vel auditu, ex Jasone vel ex Revelatione, uti jam dictum est.

Denique Inspiratio non est rerum scribendarum Revelatio, sed Operatio movens ac dirigens ad scribendum ea quae Deus scribi vult, et consequenter ad quaerendum ea quae Scriptori nondum satis perspecta sunt. Unde mirum non est si laborem inquirendi Inspiratio quandoque secum ferat.

δ) Fatetur ipse Apostolus in 2ª. Epist ad Cor. cap 11. se quaedam dicere non secundum Deum. Et ibid. v. 23. se aliquid dicere in incipientia. Et 1 Cor 7 caeteris ego dico, non Dominus. Similiter S. Basilius, adversus Eunomium lib. 5. cap. 17. distinguit rationalis creaturae loquelam a loquela Spiritus Sancti per hoc, quod creatura quandoque

suo, quandoque Dei nomine loquitur; Sanctus vero Spiritus nonnisi Dei verba loquitur. — Sic etiam Ambrosius lib. 8. in Lucam. c. 16. loquens de libello repudii, ait: "ostendit hic locus, quae propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta".

Respondeo, laudare se ipsum, etiam quum laus vera est, non est regulariter loquendo secundum Deum, sed solum ex accidentali circumstantia, quae Apostolum ad id cogebat. Vide Interpretes in hunc locum.

Ad locum 1. Cor. 7. dico, non loqui Apostolum de causa narrante, sed de causa condente leges circa Matrimonium. Harum legum aliam dicit conditam esse potestate divina, aliam potestate apostolica; utramque autem narrat Inspiratione divina. Eodem hoc responso satisfit locis allegatis ex Basilio et Ambrosio.

Ad majorem declarationem eorum, quae modo dicta sunt, non erit inutile breviter explicare ad quosnam actus divina Inspiratio Scriptorem Sacrum efficaciter moveat.

1°. Facit Deus Inspirans ut Scriptori Sacro occurrant ii praecise conceptus, quos Deus per Scriptorem vult enunciari. Quod si conceptus isti Scriptori plane sint incogniti adjungit Deus Inspirationi Revelationem qua noti fiant.

2°. Facit Deus Inspirans ut conceptus quos habet animo praesentes Scriptor ita coordinet, atque ita exprimat, uti necesse est ad exprimendum id totum ac solum, quod Deus vult exprimi.

3°. Quum ad conceptum quemcumque apte exprimendum requiratur et ut memoriae praesentia sint verba idonea, et ut reapse adhibeantur per enuntiationem vocalem aut scripturam:

facit Deus Inspirans et ut idonea verba sint memoriae praesentia; et ut actu scribantur: quod utrumque includitur, ut patet, in eo actu quo facit Deus ut Scriptor recte exprimat conceptum quem Deus vult exprimi.

Quaeritur inter Theologos, utrum Inspiratio moveat Scriptorem Sacrum solummodo ad sensum conceptus divini fideliter exprimendum, an vero moveat eum etiam ad verba idonea adhibenda. Si hic revera sit status quaestionis, non erunt jam duae sententiae, sed una duobus modis expressa, si quidem verae sint tres illae Annotationes quibus explicavimus actus in Inspiratione comprehensos. Nam ex annotatione 2ª et 3ª manifestum est perinde esse, utrum dicas, Deum Inspiratione efficere ut Scriptor Sacer conceptus divini sensum recte exprimat, aut Deum efficere ut Scriptor Sacer idonea verba ad sensum divini conceptus exprimendum et habeat memoriae praesentia, et per scriptionem reapse adhibeat. — Sed haec dicta sint, salvo meliori cujusquam judicio.

Si vero Theologi qui de Inspiratione Scriptoris Sacri, ita loquuntur ut videantur non admittere nisi assistentiam quae immunem eum praestat ab errore, non poterunt nobis assignare differentiam realem inter Scripturam Sacram, et Scripturam non Sacram quae quidem aliquod Dei Verbum accurate exprimat, nec proinde assignabunt differentiam inter Symbolum Apostolicum et Scripturam Sacram aut inter Definitiones Ecclesiae dogmaticas, et Scripturam Sacram.

Proferunt tamen aliquid cujus mentio inutilis non videtur. Dicunt nimirum, Versionem Septuaginta esse Scripturam Sacram, et talem quoque esse Versionem latinam Vulgatam: jam vero his Versionibus non fuisse ab Ecclesia attributam Inspirationem qualem definivimus, sed solum Immunitatem ab errore; unde sufficere hanc Immunitatem ab errore ad efficiendam Scripturam quamcunque Sacram.

Respondeo has Versiones non dici Scripturam Sacram in toto eo sensu quo Autographa Sacra dicuntur esse Scriptura Sacra, imo nec eo sensu quod Immunes sint ab omni errore.

Atqui ut ab hoc posteriori asserto ordiamur, Hieronymus certe non concedit Septuaginta scripsisse ut Prophetas potius quam ut fallibiles Interpretes, ut videre est in Praefat. in Pentat.. Praeterea non poterit facile ostendi codicem hebraicum ex quo transtulerunt, post quatuordecim a Moysis obitu saecula, aut juxta alios post Saecula duodecim omni mendo caruisse; quamvis SS. Patrum summa sit de eorum Versione existimatio.

Deinde latinum Translatorem Psalmorum nobis plane incognitum, et Translatorem Deuterocanonicorum V. T. unum aut plures, quis poterit affirmare ab omni errore praestitos immunes?

Denique quantacunque nostra sit ac esse debeat erga illum reverentia quem Deus in exponendis Scripturis Doctorem maximum providere dignatus est, tamen non meminimus esse a gravi Theologo affirmatum, S. Hieronymum ab omni

porus errore praeservatum esse. Et haec quidem dimensio ntia quam ulaquis patet Interpretibus fuisse concessam.

Dico secundo, dato et non concesso, fuisse hanc Inerrantiam Interpretibus collatum, non fieri hinc ex Inerrantia Scriptoris fuerit Scripturam ejus esse Sacram. Est enim in Theologia Catholica inerranditum, verum mere Traditionale, ut est v.g. haec Propositio, Infantes valide baptizantur, esse Scripturam Sacram quae tamen propositio infallibiliter vera est.

Dico tertio, versionem fidelem Autographi Sacri, vocari Scripturam Sacram, eo quod definitam verborum formam quae in Autographo est, exacte in alia lingua repraesentat: unde fit ut quis quis novit Autographum esse Sacrum, et versionem esse fidelem, eo ipso possit ac debeat versionem accipere pro autographo, verba pro verbis ideoque sensum pro sensu, manente ea solum differentia quae est in forma litterarum, et diversitate Synaxeos.

Dico quarto, eo ipso quod quis Sacer Scriptor est, actus ipse quo scribit, i.e. ipsa Scriptio ex Inspiratione est. At vero ex eo quod quis Interpretandi seu vertendi laborem suscipit, nullatenus sequitur actum vertendi seu versionem esse ex Inspiratione. Et hoc verum est, etiam eo casu quo data esset Interpreti immunitas ab errore.

Objectiones

Contra Canonicitatem eorum librorum quos Tridentinum Sess. 4. definit esse canonicos.

Objectio 1a. Deutero Canonicos V.T. Synagoga non receperat ut Sacros, teste Josepho, contra Apionem, Lib. 1. cap. 8. Ergo nec Ecclesia debuit eos ut Sacros recipere — Et patet consequentia. Nam librum quempiam esse Sacrum, perinde est ac esse Inspirante Deo Scriptum; haec autem Inspiratio factum est quod Ecclesiae non potuit innotescere nisi ex testimonio coaevo, quod utique Synagogae non fuisset ignotum; quum ergo fuerit Synagogae ignotum, non potuit Ecclesiae notum esse.

Respondeo. Non potuit Inspiratio eorum qui Deutero Canonicos libros scripserunt innotescere Ecclesiae nisi testimonio aliquo Prophetico vel coaevo ipsis libris, vel posteriori, Concedo: coaevo tantum, Nego. Sane nisi ex testimonio miraculis firmato cujusmodi illud est quod Propheticum dicimus, nequit constare nobis plena cum certitudine de cujusquam scriptoris Inspiratione; quam ob causam etiam Josephus dicit non fuisse perspectam Judaeis divinam originem librorum quorundam, scil. Judith, Tobiae, Macchabaeorum, *propterea quod minus explorata fuit successio Prophetarum*, i.e. quia non erat explorata Inspiratio eorum qui hos libros scripserant. Fuisset autem explorata, si constitisset eos fuisse Prophetas. Si autem non fuit Synagogae notum utrum Deutero Canonicorum Scriptores Inspirati fuerint, quia scil. nullus homo probatae Propheticae auctoritatis id eis asseruit, non sequitur hinc non fuisse Christianis persp-

etiam horum librorum originem divinam, quia potuit Magister Prophetarum Christus id Christianis revelasse. Ex 9a. autem et 14a Prop constat Ecclesiam non fuisse uniformiter recepturam libros istos ut Sacros, absque idoneo testimonio de eorum Inspiratione

Objectio 2a. Nomine librorum Canonicorum intelligimus eos quos Ecclesia recepit ut Sacros: omnium autem Sacrarum Scripturarum aequalis est auctoritas. Attamen Augustinus qui lib. 2. de Doctrina christiana cap. 8. eosdem libros Sacros enumerat, quos Tridentinum, Scripturas quasdam Canonicas docet esse quibusdam aliis Canonicis praeferendas. Ergo vel non censebat Augustinus judicium Ecclesiae determinatio Canonem, esse aequaliter certum quoad omnes libros in Canone comprehensos; vel Ecclesia tempore Augustini non censebat omnes Scripturas Canonicas esse Sacras. Utrumlibet autem dicas, evertitur auctoritas Decreti Trid. Sess. 4.

Resp. Locus qui ex Augustino objicitur, sic habet Erit igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, et si nondum intellectu, jam tamen lectione, duntaxat eas quae appellantur Canonicae. . . . . . In Canonicis autem Scripturis, Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sint quae Apostolicas sedes habere et Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quae ab omnibus accipiuntur Ecclesiis

Catholicis praeponat eis quas quaedam non accipiunt: in eis vero quae non accipiuntur ab omnibus praeponat eas quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiae tenent. Si autem invenerit alias a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc facile invenire non possit, aequalis tamen auctoritatis eas habendas puto. Totus autem Canon Scripturarum in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur: quinque Moysis etc." Et enumerat eosdem quos Trid. sess. 4. Ubi adverto.

1°.) Augustinum non dicere, eorum librorum quos omnes Ecclesiae accipiunt, posse alios aliis praeponi. Si autem hoc non dicat, Objectio 2ª nititur falsa assumptione.

2°.) Quando dicit aliquos Libros Canonicos esse aliis Canonicis posthabendos, loquitur de libris quos hinc pauciores, illinc plures Ecclesiae tenent: loquitur ergo tunc de Canone particulari Ecclesiarum particularium, v.g. de Canone Ecclesiarum Africae, de Canone Ecclesiarum Aegypti, de Canone Ecclesiarum Orientis, et similibus.

3°.) Si dicas istos Canones particulares non fuisse auctoritatis certae sed probabilis tantum, eo quod juxta Augustinum alter alteri poterat ac debebat antiferri: adeoque Ecclesias particulares non habuisse Scripturas certo Canonicas, et consequenter nec universalem Ecclesiam, quippe quae ex particularibus componitur habuisse Canonem certum.

Respondeo, Canones illos particulares potuisse esse singulis Ecclesiis certos, quamvis ignoti adhuc essent illi homini, quem Augustinus hic suscipit dirigendum in inquisitione Scripturarum vere canonicarum. Quum autem homo qui Singularum Ecclesiarum specialem de his Libris Traditionem nondum novit, non possit investigationem inchoare nisi a conspicuo quopiam Criterio, numero scilicet et consensu Ecclesiarum, hos illosve libros admittendum, indicat ei Augustinus qui sint in hoc criterio gradus auctoritatis; ut primum admittantur ut Canonici ii libri quos constiterit ab omnibus Ecclesiis admitti; deinde inquiratur canonicitas certa eorum quos admittunt pleraeque et graviores Ecclesiae; hinc demum procedatur ad inquirendum certam Canonicitatem eorum quos pauciores aut minus graves Ecclesiae admittunt: qua scilicet quum Augustinus haec scribebat, nondum fuerat universalis Ecclesiae promulgatum Decretum de Libris qui essent admittendi ut Canonici.

Objectio 3ª. Nequit Auctoritas libri cujuscunque non fictitia major fieri decursu temporis quam fuit ab initio ut scil. postmodum Canonicus fiat qui ab initio non fuit, quum hoc in genere nihil habeat posteritas, nisi quod transmissum est ab initio. Atqui Libri Deutero Canonici seu Veteris seu Novi Testamenti, non fuerunt ab initio recepti in tota Ecclesia; sed fuit de eis dubitatum ab iis Patribus quorum loca recitat Bellarminus. Ergo non potuerunt hi libri postmodum legitime recipi a tota Ecclesia.

Respondeo 1º aliud esse quospiam libros in Canone nuper ullius particularis Ecclesiae omissos, aut ut dubiae Canonicitatis spectatos fuisse; et aliud est fuisse eos ab ulla Ecclesia rejectos ut non Canonicos. Prius illud verum est; alterum istud probatum non est, quod sciam. Ad omissionem aut dubitationem satis erat, quod Ecclesia quaepiam specialem alterius Ecclesiae traditionem ignoraret; positiva rejectio exegisset positivum testimonium contra Canonicitatem libri de quo agebatur. Jam vero potuisse ab una quapiam Ecclesia ignorari traditionem aliarum in quodam facto aut dogmate, manifestum est ex magna illa de Haereticorum Baptismate controversia inter Cyprianum et Stephanum, quae, Augustino teste, statim sopita fuisset, si nota fuisset Africanis omnium aliarum Ecclesiarum traditio, quae tamen non prius innotuit quam a plenario Concilio definiretur.

Resp. 2º; Non potest procedente tempore haberi legitime pro Canonico liber qui nunquam antea Canonicus fuit, sed potest liber qui ab initio fuit apud quasdam Ecclesias Canonicus, fieri paulatim Canonicus apud omnes, quia potest paulatim diffundi notitia traditionis illius specialis quae Canonicitatem ejus jam ab initio veram esse probabat. Intelligitur hoc etiam facilius, si consideretur non solitos fuisse Apostolos spargere in omni loco scripturas latinas aut graecas, aut vernaculas earum versiones; nec potuissent omnes Novi Testamenti libros, quum singuli in remotas terrae partes profecti sunt, secum asportare, quia nondum erant omnes compositi quando Apo-

stoli in omnem terram dispersi sunt. Profecti enim sunt juxta Baronium anno Chi. quadragesimo quarto, i.e. decimo post Ascensionem anno; Evangelium autem secundum Joannem, et Apocalypsis non videtur fuisse scripta ante tempora Imp. Trajani; S. Marcus cap. ult. versu ult. loquitur de profectione Apostolorum, ut jam facta; S. Lucas Evangelium censetur a plerisque scripsisse circa annum Dni quinquagesimum tertium. Et valet haec observatio etiam de tempore quo scriptae sunt Epistolae Apostolicae.

Objectio 4a. Non apparet quomodo omnes partes librorum a Tridentino enumeratorum, possint absque contradictione vocari canonicae, quandoquidem v.g. anni quibus Patriarchae genuerunt, sunt in Vulgata latina diversi ab annis assignatis in Versione Sept., etiam ut per Sixtum V. restituta est ac proposita ut recipienda ac retinenda.

Respondeo, Dissidium istud non impedit quominus certum sit, utrumque textum illum retentum fuisse in sacris codicibus ab ultima, ad quam documenta nostra pertingere possint, antiquitate. Sed quia textus alter cum altero confligit, et consequenter alteruter ex cujuspiam Amanuensis errore natus est, sequitur ut neutrius certa sit, et tamen utriusque seorsim sumpti, tam probabilis sit Canonicitas ut neutrum potuerit Ecclesia repudiare, propter aequale utrinque periculum repudiendi textum sacrum, sive hunc repudiaret, sive illum. Uterque igitur Canonicus est eo sensu duntaxat, ut neutrum liceat rejicere quasi certo non-canonicum. Quod

autem de his duobus locis diximus, valet etiam de aliis non paucis, uti patebit percurrenti Psalmos et Prophetas in versione graeca et latina vulgata.

Probatur anteced. tertia pars, ex eo quod etiam post Clementinam Editionem pergunt Interpretes Catholici emendare vulgatam.

Etiam Clementina Editio non congruit ubique cum Hebraeo.

Ipse Clemens VIII. fatetur in Praefatione quam Editioni suae praefixit, difficile affirmari posse hanc suam Editionem esse numeris omnibus absolutam. Deinde, in hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt.

Resp 1) ante Tridentinum, et inde ad nos usque fuerunt errores in exemplaribus Vulgatae, Concedo; fuerunt aut nunc sunt in Vulgata ipsa, subdistinguo dubii errores extra doctrinam fidei et morum, Concedo, quia scilicet dantur in his adiaphoris lectiones quae probabiles tantum sunt; datur in vulgata, etiam in andiaphoris tantum, error quispiam manifestus et innegabilis, Nego. Advertendum nimirum est, aliud esse vulgatam, aliud exemplaria vulgatae. Ad vulgatam non pertinent certo, nisi lectiones ejus, quae ad nos usque pervenerunt certo uniformes: pertinent ad vulgatam solum probabiliter ea lectiones ejus, quae pervenerunt ad nos cum probabili tantum uniformitate. Non esset autem utilitatis probabilis uniformitas ejus

lectionis quae manifestum errorem contineret. Nullus ergo est manifestus error in Vulgata, et hoc ex ipsa ejus definitione colligitur

Exemplaria vero Vulgatae, quippe quae nihil sunt aliud quam Apographa ex Apographis, obnoxia sunt omnibus mendis ac erroribus, quibus obnoxia est alia quaecunque transscriptio ex hominum aut oscitantia aut malitia. Sed in errore aut mendo, non invenitur, regulariter loquendo, uniformitas sed varietas: dum ad Vulgatam non pertinent nisi lectiones exemplarium uniformes. Ergo diversitas et conflictus lectionum non est nisi in exemplaribus, sicut naevi et deformitates sunt in individuis tantum; non in specie. Uniformitas vero est in exemplaribus, et in vulgata, sicut humana conformatio membrorum est in individuis et in specie.

Ergo quando Tridentinum decernit ut Vulgata emendatissime imprimatur, significat faciendam esse Editionem in qua contineantur lectiones quae uniformes ad nos usque pervenerunt, rejectis iis omnibus quae nec certam nec probabilem uniformitatem habent.

Respondeo 2°. Ea quae Clemens VIII. dicit esse consulto mutata in ipsa Vulgata, esse lectiones minus probabiles et quibus substitutae sunt magis probabiles et quae cum textu originali melius congruerent. Quum autem dicit, quaedam quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta esse, significat lectionibus quibusdam minus probabilibus, alias probabiliores non fuisse substitutas, in rebus scilicet adiaphoris, in quibus non expediebat turbari

consuetudinem fidelium, aut quum mutatio proposita videbatur quidem melius congruere textui originali qualem nunc habemus, eo quod ipse textus originalis ipse in his locis non plane certus erat. Et hoc etiam modo privati interpretes proponunt in commentariis lectiones, quas putant esse probabiliores, utique non ideo rejicientes lectionem Vulgatae ut improbabilem

Respondeo 3°. textum hebraeum hodiernum suis quoque mendis non paucis inquinatum esse, ut omnes etiam Judaei fateri debent. Non est ergo cur ad authentiam Vulgatae exigatur perfecta ejus cum hodierno hebraeo textu conformitas.

Si demum quaeras utrum textus hebraeus hodiernus adhuc sit authenticus in doctrina fidei et morum, respondeo breviter, certissime fuisse illum hoc respectu authenticum usque ad Christianam aeram; fuisse autem allatum adhuc ullum argumentum, quo efficaciter probetur hanc ejus authentiam sublatum esse, aut dubium evasisse.

De authenticitate lege historiam Concilii Trid. a Cardin. Pallavicino, ubi explicat Decretum Sessionis 4ae.

Colligamus jam breviter ea quae dicta sunt circa Prop 19m. Vidimus respondendo objectionibus contra inspirationem, quid Ecclesia intelligat nomine Scripturae Sacrae — Vidimus respondendo Objectionibus contra Canonicitatem, Ecclesiam recipere ut Scripturas Sacras eos Libros omnes quos Ecclesia Catholica legere consuevit sub titulo Genesis etc. prout hi tituli enumerantur in Canone Tridentino.

Vidimus denique respondendo Objectionibus contra Authenticitatem, Scripturas illas quas Ecclesia recipit ut Sacras certo contineri quoad Doctrinam fidei et morum et quoad omnes lectiones certo uniformes in Versione Vulgatâ latina. Vidimus ergo totum id quod ad stabiliendum Prop. 19^{m}. requirebatur.

Objectiones

contra authenticitatem Vulgatae

Sumemus hoc genus Objectionum ex Editore Polyglottorum Londinensium Briano Walton, cujus et magna est apud Heterodoxos auctoritas, et Dissertatio extat refuta objectionibus contra Authentiam Vulgatae nostrae.

Obj 1^a. Inter ipsos Catholicos adhuc disputatur quo sensu Ecclesia Vulgatam declaraverit authenticam. Nam hanc authentiam

α) Suarez, de Fide, Disput. 5. Sect. 3. n. 10. sic definit ut Vulgata habeat infallibilem auctoritatem, et sit certa regula fidei in omnibus quae continet.

β) Alii, et major pars, sic rem intelligunt, ut Vulgata nihil in se contineat fidei et moribus repugnans.

γ) Alii sic intelligunt, ut nihil habeat Vulgata veritati repugnans, sive in rebus fidei, sive in aliis sic Bonfrerius.

δ) Alii ut de Valentia, sic intelligunt, ut Vulgata fontem suum fideliter exprimat.

ε) Alii, ut D'espieres, volunt Vulgatae auctoritatem aequalem esse auctoritati Originalis.

Respondeo 1°) Authentia quum praedicatur de

Apographo significat Apographum fuisse a competente auctoritate declaratum conforme Autographo: quoad verba omnia materialiter spectata, i.e. in forma sua et constructione: quando autem praedicatur de Versione significat Versionis verba esse quoad sensum aequivalentia verbis Originalis; et hoc a competente auctoritate esse declaratum. Sic enim in Jure, unde vox Authentica sumpta est, probatur apographum aut Versionem Authentica esse.

Resp. 2° Quando Ecclesia declaravit Authentiam alicujus Scripturae Sacrae contentae in aliqua Versione, declarat, eam Scripturam seu Versionem Authenticam esse quoad Objectum illud, quod cadit sub potestatem Ecclesiae declarantis. Cum ergo ad potestatem Ecclesiae pertineat declarare auctoritative, ubi et quale sit Verbum Dei, quod sit regula fidei et morum, sequitur, ut Ecclesia declarans Authentiam Vulgatae latinae, declaraverit eam esse regulam fidei et morum, ut dicebat secunda et tertia sententia; eam proinde esse sub hoc respectu ejusdem auctoritatis ac Originale, ut dicebat quinta sententia; eam proinde, sub hoc respectu, fideliter exprimere fontem suum, ut dicebat quarta sententia; eam proinde esse regulam fidei in omnibus quae continet ad fidem pertinentia, ut dicebat prima sententia: non enim ignorabat Suarez adeo tritam distinctionem eorum quae in Scriptura pertinent ad fidem quam Ecclesia ad salutem omnium gentium praedicat quorumque cognitionem a fidelibus exigit; et eorum quae ad hanc categoriam non pertinent;

nec ut explicite credenda, nec ut explicite credendorum fundamenta necessaria.

Resp. 3º Omnia illa, de quibus constiterit ea ad Veterem Vulgatam latinam pertinere, etiamsi ad doctrinam fidei et morum non pertineant, eam habere Authenticitatem, ut vel admitti debeant tanquam Autographo Sacro conformia, si cum textu aeque uniformi non confligunt, vel ut saltem rejici legitime non possint. Ratio Assertionis est quod ad Vulgatam ea sola et omnia pertinent quae inde a prima ejus in quinto Saeculo diffusione ad nos usque, ut Vulgatae hujus partes, pervenerunt. Non pervenerunt autem hoc modo ad nos, nisi eae Vulgatae partes seu lectiones quae manserunt per mille et amplius annos uniformes in sensu et verbis, aut saltem in substantia sententiae, si acciderit in verbis aliqua varietas.

Jam vero lectionum Vulgatae, quae in hac uniformitate ad nos pervenerunt, et quae cum nullo alio textu aeque uniformi confligunt, authenticitas tam explorata est, ut non viderim alicujus notae criticum, qui eam audeat in dubium vocare. Nec vero posset, etiamsi vellet. Quod enim haec lectio descenderit ab Editione primitiva, factum est quod coaevo et non interrupto testimonio, si quod exstat probari potest; hoc autem testimonium in isto casu, est ipsa uniformitas lectionis, quae per decem aut tredecim saecula per omnium Editorum et Amanuensium et Typographorum criticam transivit illaesa.

Illae vero lectiones Vulgatae nostrae, quae se uniformes quidem sunt, sed vel cum uniformi textu Septuag. Interpretum, vel cum hodierno hebr. et uniformi textu confligunt (locum autem in quo cum utroque confligant non memini me videre), aequalem habent cum contrariis textibus aliarum linguarum probabilitatem, ut ex ipsa hypothesi manifestum est. Igitur lectiones hujusmodi prudenter rejici non possunt, nec postponi lectionibus alterius linguae, quae non sint magis uniformes. Unde, fatente etiam Cl. Walton merito prohibet Ecclesia ne quis Vulgatae textum ullo praetextu rejicere audeat.

Resp. 4° Authenticae quoque sunt quoad sensum omnes eae lectiones Vulgatae quae licet aliquam in voce varietatem habeant in diversis exemplaribus sensum tamen substantialiter eundem retinent. Patet hoc ex ipso enuntiato.

Resp. 5 Si textus, si qui usquam essent in Editione Clementina, qui nec verborum, nec sensus uniformitatem retinuissent, non utique pertinerent ad Vulgatam. Sed meminisse oportet posse uniformitatem lectionis permansisse aut certam aut probabilem, et in utroque casu retineri lectionem debuisse.

Obj. 2° Vulgata nostra habet Psalmos ex Versione Sept., Sapientiam, Ecclesiasticum, Judith, Tobiam, Macchabaeos, ex Latina illa Vulgata quae inde a primis temporibus usque ad Septimum Saeculum in Ecclesia recepta erat. Novi quoque Testamenti latina Editione [illegible] vetus illa est quae inde ab initio Ecclesiae usque

ad Gregorii M. aetatem in usu fuit. Iam vero nec Versio Sept. authentica fuit, quia auctores ejus non erant infallibiles; nec latina illa Versio seu Veteris seu Novi Testamenti authentica fuit, quia Ecclesia illi substituit quoad omnes Protocanonicos, exceptis Psalmis, Versionem factam ab Hieronymo; et quia latinam Novi Testamenti Hieronymus emendavit et Graecae fidei restituit. Denique ipse Hieronymus fatetur se in Translatione sua quandoque errasse lib. 5. Comment in Isai. cap. 19.

Respondeo, quando Versio quaepiam sacri textus tam est accurata ut nec deviet a textu Sacro in doctrina fidei et morum, in caeteris autem nullum manifestum errorem contineat, potest Ecclesia talem Versionem declarare authenticam, id est, eam recipere ut Versionem quae textum sacrum fideliter repraesentet quoad sensum et verba. Atqui ad talem concinnandam, non requiritur Infallibilitas, sed ea tantum assistentia quae actu praeservit ab errore quocunque in fide et moribus; et quae non permittat manifestum errorem in caeteris, quia talem errorem Ecclesia et cognoscit, et cognitum recipere nequit, versionem vero probabilem alicujus obscuri textus, Ecclesia non tenetur rejicere, quia non tenetur dissipare omnes obscuritates Scripturarum in rebus quae non pertinent ad fidem et mores.

In loco allegato ex Hieronymo, S. Doctor reprobat quam fecerat versionem versiculi 15 et 17, sed Ecclesia suo quoque judicio usa, correctionem quas Hieronymus proposuit, alteram admisit, alteram rejecit, hoc facto satis indicans, Hieronymum non semper optima

elegisse, proinde versionem Hieronymi non fuisse adoptatam, ex praesumpta inerrantia ejus.

Quod antiquae latinae Versioni Proto Canonicorum Ecclesia substituerit paulatim novam Hieronymi non factum est quia prior illa non fuerit authentica; usi enim ea sunt omnes latini Patres in doctrina fidei et morum; sed quia Hieronymi hebraeum textum magis accurate repraesentabat, et Judaeis occasionem cavillandi eripiebat. Caeterum adhuc septimo saeculo, Sedes Apostolica, utraque Versione utebatur.

Emendavit quidem Hieronymus veterem latinam versionem Novi Testamenti, sed non sequitur hinc eum id fecisse ob ullum manifestum errorem Interpretis, sive in fide, sive in aliis. Volebat scilicet eliminare quae Librariorum incuria irrepserant menda, deinde quae ab Interprete minus feliciter ad Graecum textum expressa fuerant, accuratius exprimere.

Denique versionem Sept. dicit Waltonus non fuisse authenticam. Probat autem, quia Septuaginta non eodem divini Spiritus afflatu versionem suam fecerint, quo Autographum sacrum scriptum fecit. At ex conficta ad libitum definitione versionis authenticae, nihil efficiet contra eos qui definitionem ejus rejecerent. Atqui rejecissent eam Tridentini Patres qui, quum Vulgatam authenticam declarant, non aliam Decreti sui rationem dant, quam quod longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est: de Inspiratione Auctorum hujus versionis

ne verbulum quidem dicitur. Ergo Catholicus Theologus, imo sanus Criticus quicumque, si probare velit authentiam Versionis Septuaginta, nec unum præstare debet, ut ostendat Versionem Septuaginta longo bis mille annorum usu esse in Ecclesia Catholica probatam ut versionem fidelem in doctrina fidei et morum. Argumenta suppeditat ipse Walton, quum in Dissertatione de Versionibus Græcis, sequentia docet ut posita extra controversiam. (Vide num. 56).

1°) Versio Sept. omnium est antiquissima, tribus fere ante Christum seculis recepta a Judæis tum intra tum extra Palestinam, teste Josepho et Philone.

2°) Quod a Judæis ubique terrarum dispersis publice et privatim lecta fuit.

3°) Quod Apostoli et Evangelistæ eadem in citandis N. T. scripturis plerumque usi sunt. (Vide hic etiam num. 39.).

4°) Hujus Versionis aut textu aut latina translatione usa est per sexcentos annos Ecclesia tum græca, tum latina, in conciliis celebrandis, in confodiendis hæresibus, hanc Patres omnes usque ad sæculum sextum exactum, commentariis illustrarunt.

Rationibus istis addi possunt aliæ duæ, scil.

5°) Hanc Versionem ecclesia græca usque ad concilium Florentinum in doctrina fidei ac morum tam illibatam servavit ut nec in Lugdunen-

2:0.
si II. nec in Florentino fuerit ulla grecis mota quæstio de Scripturarum quibus utebantur puritate.

6°). Si Versio Sept. desiisset esse fidelis in fide et moribus, non potuisset Sixtus V. eam proponere Ecclesiæ ut recipiendam ac retinendam.

Nec obstant his rationibus variæ quæ objici solent discrepantiæ inter textum græcum et hebræum, quia contra certitudinem nulla militat solida probabilitas. Jam vero allegata facta certa sunt; certum quoque est, stante veritate horum factorum, Versionem Sept. semper tutam fuisse regulam in doctrina fidei, et aliunde manifestus in adiaphoris error, qui quidem septuaginta interpretibus tribuendus sit nondum ostensus fuit.

Objectio 3a (apud Walton in Dissertatione de Vulgata num. 11°.) conflatur ex indigesta rerum farragine, quæ quidem post intellecta quæ hactenus dicta sunt, refutatione ulteriori non indigent, sed tamen hic exponuntur, ut appareat quibus aranearum telis vincti tensantur homines etiam eruditi qui civitatem super montem positam non vident.

Vulgata latina ante Tridentinum concilium authentica non fuit; sed neque post concilium, imo neque post Clementinam Editionem Vulgatæ; ergo neque nunc adeoque nunquam.

Probatur antecedentis prima pars. Multa errorum millia deprehenderunt in Vulgata, ante Tridentinum, Nicolaus de Lyra, Paulus Burgensis

Driedo, Cajetanus et alii.

Probatur Antecedentis secunda pars, quandoquidem per quadraginta illos annos qui effluxerunt a convocato Tridentino usque ad Sixtum V mansit in eo statu in quo erat ante concilium.

Respondemus, 1°. Vulgata latina vetus erat ante Tridentinum longo decem saeculorum usu approbata ut regula fidei, ergo in judiciis dogmaticis Vulgata erat Instrumentum faciens plenam fidem; ergo erat ante Tridentinum Authentica Scriptura Sacra.

2°. Millena autem illa menda, de quibus in Objectione sermo fit, Exemplarium menda sunt in iis locis quorum lectio non est uniformis: ad Vulgatam autem Veterem non pertinent lectiones non uniformes.

3. Vulgata per Clementem Pontificem edita fuit quam emendatissime fieri potuit ac repraesentata quam proxime ut antea semper fuerat; non fuit ergo Vulgata ipsa in pejori conditione ante Clementinam Editionem, quam postea. Quid ergo emolumenti contulit Ecclesiae Clementina Editio? Typum et exemplar edidit, juxta quod omnia mendosa exemplaria reformata sunt.

Pars Tertia.

Jam vidimus corpus Pastorum cujus necessarium caput est Romanus Pontifex, esse Infallibilem Testem et Doctorem eorum, quae Christus ad humani generis salutem credenda et servanda promulgavit. Corpus autem Pastorum dicimus Pastores seu Episcopos eos omnes et solos qui Petro ut fundamento fidei innitentes unam eamdemque doctrinam fidei cum eo profitentur. Itaque ad certitudinem doctrinae Catholicae perinde omnino est, sive in unum locum collecti, sive dispersi in suis quique Dioecesibus Pastores unanimiter quidpiam doceant, cum Capite Petro.

Quaeritur jam in hac Tertia Parte, quibus modis unanimem sententiam suam Pastorum Corpus manifestet. Hoc ut distincte explicetur, tot ponemus Articulos, quot sunt diversi Actus aut Modi generales, quibus unanimis doctrina Pastorum proponitur.

Articulus 1.
De Symbolis.

Symboli nomine intelligimus hoc loco complexum eorum Dogmatum, quorum explicitam fidem Ecclesia ab omnibus suis membris exigit.

Quatuor solemus distinguere Symbola, Apostolorum, Nicenum, Constantinopolitanum, Athanasianum. Sed interest scire, quo sensu dicantur esse quatuor.

Heterodoxis quibusdam quatuor hæc Symbola, quatuor sunt ac solemnes Ecclesiæ Variationes in fide. Catholicis vero sunt unius Symboli Apostolorum tres perfecte consistentes Explicationes, ideo datæ, quia succedentium temporum hæreses, magis explicitam declarationem postulabant.

Symbolum Apostolorum moderni quidam existimant non esse ab Apostolis ipsis concinnatum in formam compendii omnibus proponendi: quamvis fateantur omnes symboli hujus Articulos pertinere ad summam illam doctrinæ Christianæ, quam Apostoli omnibus gentibus prædicarunt. Contrariam ac veterem sententiam exponunt Baronius ad annum 340, et Natalis Alexander Dissertatione XI. ad hist. sæculi I. Ad scopum autem nostrum necesse non est, questionem hanc disputare: satis est ad rem nostram, quod hæc Symbola, aut potius quatuor istæ unius Symboli Editiones, constituant partem

Liturgiae in tota Ecclesia obtinentis, tum in collatione Baptismi tum in Sacrosancto Sacrificio, tum in Officio Canonico. Hinc enim patet doctrinam horum symbolorum proponi fidelibus a toto corpore Pastorum.

Articulus II.

De Catechismis.

Catechismum vocamus compendium eorum quæ ad salutem credenda et agenda sunt. Continet ergo Symboli, Decalogi, Præceptorum Ecclesiæ, Sacramentorum et Orationis Dominicæ explicationem ad populi captum accomodatam.

Catechismi seu Catecheseos tam antiquus in Ecclesia mos est, quam Instructionis Baptismo præmittendæ juxta Matth. 28. Euntes ergo docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Fuit proinde Catechesis a quo tempore fuerunt homines, qui ad Baptismum præparabantur, id est Catechumeni. Ad solum autem Episcopum in qualibet Diœcesi pertinet Editio Catechismi seu libri Catecheticam doctrinam exhibentis, sicut ad eum pertinet potestas diœcesana suprema in doctrina fidei et morum. Ergo quidquid uniforme est in omnium Diœcesium Catechismis, uniformis est doctrina omnium Pastorum circa fidem et mores.

Articulus III.
Liturgiae.

Liturgiam vocamus Complexum eorum quae tum in Sacramentorum administratione, tum praecipue in oblatione Sacrosancti Sacrificii Orationibus ac Caeremoniis continentur.

Liturgiae quoad Sacrificium Missae, in Ecclesia latina quatuor sunt, Romana, Mediolanensis, Gallicana, Mozarabica.

Romanam Liturgiam a Sto. Petro conditam esse affirmat Innocentius I. Epist. ad Decentium; et Vigilius Epist. ad Profuturum. Sed scriptis consignata non videtur ante tempora Gelasii. Aliquas hujus Liturgiae Orationes S. Gregorius M. suppressit, alias paucas addidit, Canonem servavit intactum.

Auctor Liturgiae Mediolanensis ignotus est, certum tamen est eam viguisse jam ante aetatem Sti. Ambrosii.

Mozarabicam Liturgiam in Hispanias induxerunt Gothi, saeculo 5°. Vocata autem est Mozarabica saeculo 8°, quando permixti Arabibus Christiani, Mozarabes dicti sunt. Fuit haec Liturgia illa ipsa quam fidei praecones missi a Sede Constantinopolitana tradiderant Gothis, quos ad christianam fidem converterant.

Liturgia Gallicana nuncupatur illa, quae

in Galliis viguit usque ad annum 758. Effecit Carolus M. ut Romanae Gallicanae substitueretur.

In Syria utuntur Catholici Liturgia S. Jacobi Ap. qui Jerosolymitanus Episcopus fuit. Eadem utuntur ibi Jacobitae heterodoxi, i. e. Monophysitae.

Cophti, i. e. Christiani Aegiptii, tum orthodoxi, tum alii, utuntur pro variis anni temporibus, tribus Liturgiis, S. Basilii M., S. Gregorii Nazianz., et S. Marci sive S. Cyrilli Alex. — Aethiopum Liturgiae eaedem sunt ac Aegyptiorum.

Ecclesiae graecae omnes, tum Catholicae, tum schismaticae imo et Syriaca Liturgia Nestorianorum usae sunt, quae est ipsa illa quae vocatur Chrysostomi, non quod ab eo sit instituta, sed quod jam ab eo fuerit servata atque in Operibus ejus descripta.

Collectionem omnem Liturgiarum invenies in Lebrun, comparationem earum dogmaticam habes in Opere Perpétuité de la Foi.

Vis dogmatica Liturgiarum consistit in eo quod caeremoniae et orationes Liturgiarum praesupponunt necessario principia illa dogmatica sine quibus falsus esset sensus Caeremoniarum et Orationum. Exemplum hujus rei habemus in historia Reformatorum saeculi 16, ac speciatim Eduardi VI, qui mutata fide, senserunt absurdum fore si non mutaretur et Liturgia.

Hinc fit 1° ut ea principia dogmatica

quæ uniformiter, id est, in omnium Catholicarum Ecclesiarum Liturgiis aut enuntiantur aut præsupponuntur, sint eo ipso principia dogmatica quorum Veritatem aut explicite aut implicite universa Ecclesia confitetur.

Fit etiam hinc 2°. ut ineluctabilis sit auctoritas dogmatica Liturgiarum particularium quas superius enumeravimus. Sunt enim hæ Liturgiæ publica et quotidiana expressio fidei quam profitentur Ecclesiæ aut magnæ aut numerosæ, quæ manifeste conjunctæ sunt cum Sede Romana ut centro necessario unitatis in fide. Ergo fidem harum Ecclesiarum Romana Sedes ignorare nequit; sed nec fieri potest ut Romana Sedes approbet fidem quæ cum fide Romanæ Sedis non consentiat; ergo quandiu communicat Romana Sedes cum istis Ecclesiis, tamdiu quoque approbat doctrinam dogmaticam contentam in earum Liturgiis. Ergo sicut Romanæ Sedis, ita et harum Liturgiarum auctoritas ineluctabilis est.

Articulus IV

De Conciliis generalibus.—

In hoc articulo excerpemus e Ven. Bellarmino, etiam verbo tenus, quæcumque videbuntur ad scopum nostrum facere. Igitur

ex ipso præmittendum est huic tractationi quid nomine Concilii veniat, quæ sit divisio Conciliorum.

Concilii nomine, ait Bellarminus, idem significatur in Ecclesia, quod nomine Comitiorum in regnis. Nam quemadmodum quum oritur controversia in Republica; conveniunt in unum Principes regni, vel Magistratus, ac statuunt, quid facto opus sit: ita in Ecclesia, quum oritur controversia aliqua de Religione, conveniunt Præsules Ecclesiarum, et simul collatis sententiis statuunt quod bonum videtur. Ita actum videmus act. 15. Sunt autem duæ divisiones Conciliorum: altera petita ex majori aut minori numero Ecclesiarum, unde congregantur, altera petita ex majori aut minori gradu auctoritatis eorum.

Juxta priorem divisionem distinguuntur concilia in generalia, sive ut græci loquuntur, Oecumenica, ad quæ nimirum totius Orbis Episcopi convocantur, et in nationalia, provincialia, diœcesana.

Juxta posteriorem divisionem, distinguuntur ea quæ ab Apostolica Sede approbata sunt, et ea quæ ab eadem Sede approbata non sunt, sive in toto, sive in parte.

Concilia generalia hucusque approbata sunt octodecim:

1.^m est Nicenum celebratum contra Arium.

2.^m est Constantinopolitanum I. quod quidem per se solum non fuit generale, non enim ei interfuerunt ulli Occidentis Episcopi, proinde nec Legati Papæ, quia Damasus Papa convocaverat omnes Episcopos ad concilium Romæ celebrandum. Sed quum Orientales justis de causis Romam venire non possent, accepit Damasus excusationem eorum, et Synodus utraque eandem tulit contra Macedonii errores sententiam. Generale ergo dictum est hoc concilium solummodo ob suam cum Occidentali generali Concilio concordiam.

3.^m est Ephesinum contra Nestorium, anno 431.

4.^m est Chalcedonense contra Eutychen. anno 451.

5.^m est Constantinopolitanum II. cujus conciliabuli sententia quum per se non valeret, nec concilium ullatenus esset generale, elevata est per Epistolam Vigilii ad Eutychium ad dignitatem sententiæ latæ a Concilio generali.

6.^m est Constantinopolitanum III. contra Monothelitas.

7.^m est Nicenum II. contra Iconoclastas.

8.^m est Constantinopolitanum IV. contra Photium.

9.^m est Lateranense I. sub Callisto II. et

Imp. Henrico V., anno 1123. contra Saracenos, ad recuperationem Terra Sanctae. Non extabant Canones hujus Concilii tempore Bellarmini. Eruit eos e bibliothecis Baluzius.

10^{m} est Lateranense II sub Innocentio II. anno 1139. contra antipapas, et pro Juribus Cleri. Extant ejus Canones.

11^{m} est Lateranense III. sub Alexandro III. pro reformatione Ecclesiæ, et contra Waldenses. anno 1180.

12^{m} est Lateranense IV. sub Innocentio III contra varias hæreses et pro Terra Sancta. anno 1215.

13^{m} est Lugdunense I contra Imp. Fredericum II. et pro Terra Sancta, sub Innocentio IV. anno 1245.

14^{tum} est Lugdunense II. sub Gregorio X pro uniendis græcis cum Eccl.^{a} Rom.^{a} et pro Terra Sancta. anno 1274.

15^{tum} est Viennense sub Clemente V. contra hæreses. anno 1311.

16^{tum} est Florentinum sub Eugenio IV. pro uniendis Ecclesiæ græcis.

17^{mum} est Lateranense V. sub Julio II et Leone X. contra schismata, anno 1512 usque ad 1517.

18^{vum} est Tridentinum sub Paulo III, Julio III. et Pio IV contra hæreses, ab anno 1545 ad 1563.

Concilia generalia nullatenus approbata, sunt:

1m. Mediolanense anno 354, in quo indirecte fides Catholica damnata est.

2m. Ariminense, in quo sublata est e symbolo vox Ὁμοούσιος, anno 363.

3m Ephesinum II., 449. in quo, factione Dioscori, occisus est S. Flavianus, et Legati Romani Pontificis fugati, et hæresis Eutychiana confirmata.

Excludimus ex hac enumeratione
1º Constantinopolitanum, sub Leone Isauro, contra saras Imagines, anno 730.
2. Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo, pariter contra Sacras Imagines, anno 755.

Hic enim loquimur de Conciliis repræsentantibus Corpus Pastorum, adeoque præcipue ipsum Caput Corporis Pastorum, saltem ut convocans Episcopos ex toto Orbe. Nullus autem Romanus Pontifex conciliabula ista convocavit.

Concilia generalia sub aliquo respectu non approbata et sub alio respectu approbata nulla sunt, quod sciam. Nam ea quæ Bellarminus ad hanc classem retulit, non videntur fuisse generalia respectu convocationis, ac multominus respectu sententiae, excepto Sardicensi, quod generale quidem fuit, sed hujus concilii nulla omnino sententia caruit approbatione Sedis Apostolicæ, celebratum

enim est præsidentibus Legatis Julii Papæ. Septuaginta vero Ariani Episcopi, qui tunc Sardicæ versabantur, concilio interesse noluerunt, sed Philippolim Thraciæ profecti, conciliabulum celebrarunt in quo Sardicense damnarunt.

Trullanum seu Quinisextum, nullo Romano Pontifice convocante aut consentiente celebratum fuit. Et licet receptus fuerit in Synodo 7ª canon Trullani Concilii 82ᵘˢ de pingendis Imaginibus (vide 7ᵐᵃᵉ Synodi act. 2ᵃᵐ et 4ᵃ) tamen non sequitur agnitam fuisse autoritatem Trullani, sed approbatam esse rem in hoc canone contentam.

Francofordiense anni 794. nationale fuit concilium, non generale.

Pisanum generale concilium non fuisse sensu quo hic loquimur, quum investigamus quæ sint concilia quæ in doctrina fidei declaranda repræsentant sententiam Corporis Pastorum, manifestum est: nullus enim tunc fuit Papa universaliter agnitus ut legitimus; adeoque Corpus Pastorum carebat tunc suo illo Capite, sine cujus sententia nulla unquam fuit infallibilis data definitio; nec fuit concilium hoc celebratum ad ferenda Decreta doctrinalia.

Constantiense non fuit celebratum in causa fidei, sed duntaxat pro tollendo schismate, nec sub hoc respectu etiam universale fuit ante

abdicationem Gregorii XII. et depositionem Joannis XXIII., id est non ante Sessionem 16^m.

Basiliense fuit quidem convocatione generale, sed inde a 2^a Sessione decreta fecit quorum revocationem Eugenius IV constanter exegit, ut conditionem sine qua nollet approbare gesta Concilii, et Concilium Decreta sua nunquam revocavit.

§. 1.

Quae sint generalia concilia legitima.

Sensus hujus quaestionis est, quae Proprietates requirantur in Concilio generali, ut ejus doctrinalis Definitio censeatur esse ex Christi Institutione Definitio prolata a Corpore Pastorum.

Supponit haec quaestio posse fieri ut Definitio facta a Pastoribus in Concilio generali sit aequivalens Definitioni factae a toto Corpore Pastorum: cujus suppositionis veritas posset videri fuisse probanda ante quam hujus Paragraphi quaestionem proponeremus. At quum jam viderimus multas Definitiones dogmaticas editas fuisse in Conciliis generalibus, et anathema dictum ab Ecclesia iis qui huic auctoritati resisterent, dubitari jam non potest, quin Ecclesia ineluctabilem auc-

veritatem talium Definitionem agnoverit, ac hæreticorum condemnatione ac separatione solemniter professa sit, uti patet percurrenti octodecim illa concilia generalia quæ in tota Ecclesia recepta sunt ut norma fidei christianæ. Adde quod nunquam possunt omnes ex toto orbe Episcopi ad Concilium convenire, et tamen possunt occurrere casus, qui reapse in octo primis sæculis oties occurrerunt, in quibus non possit causa pertinens ad totam Ecclesiam efficaciter componi absque Concilio generali, non quidem ex defectu auctoritatis sufficientis in Romano Pontifice, sed ex defectu cooperationis Episcoporum et Principum, si generale Concilium non celebretur. His præmissis conabimur explicare quæstionem Paragraphice 1æ per quæstiones subsequentes:

Quæstio 1a.

Cujus sit Convocare et Præsidere Conciliis, ut censeri possint ac debeant æquivalentia Congregationi totius Corporis Pastorum.

Et primum, cujus sit convocare Concilia generalia.

Ante responsionem notandum est quid nomine Potestatis convocandi designemus. Non enim dicitur ille Episcopos ad Concilium ex propria sua Potestate convocare, qui

Episcopis Convocationem immediate significat, uti nec ille qui ipsis commeatum, transvectionem et personalem securitatem praestat. Convocare generale Concilium ex propria potestate solus ille dicitur, cujus convocantis Auctoritas obligat in conscientia omnes Orbis Episcopos ad sistendum se in Concilio aut personaliter, aut si legitime impediantur, saltem per suos delegatos.

Hoc posito dicimus

Potestatem convocandi Concilium generale ad condenda Decreta doctrinalia, aut ad providendum aliis necessitatibus, solus habet Romanus Pontifex, qui quidem certo sit agnitus in universali Ecclesia ut Pontifex legitimus.

Prob. 1°.) Nullus hominum est excepto Romano Pontifice, cujus Auctoritas extendatur ad totius Orbis Episcopos: ergo nemo alius est qui possit eos obligare ad sistendum se: ergo nemo alius est praeter Romanum Pontificem, qui habeat potestatem eos convocandi eo modo convocationis, quem antea definivimus.

Prob. 2°.) Romanus Pontifex per se ipsum aut per Imperatores convocavit omnia generalia Concilia quae in Ecclesia habentur pro legitimis. Ergo habet Jus ea convocandi. Et quum nemo alius auctoritate propria Concilia hujusmodi unquam convocaverit, soli Roma-

no Pontifici ista competit.

Prob. Anteced. quoad singula Concilia.

De Niceno I. convocato a S. Sylvestro Papa, habemus testimonium Concilii generalis Sexti, act. 18ª., ubi dicitur Constantinus et Sylvester Synodum (Nicenam) congregasse.

De Constantinopolitano I. constat idem ex hujus synodica ad Damasum, relata a Theodoreto hist. lib. 5. cap. 9.: "Concilio Dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris Sanctissimi Litteras accersivistis." Et postea: "Mandato litterarum superiore anno a vestra Reverentia post Concilium Aquileiense ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus, atque de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum qui in provinciis manserunt una nobiscum attulimus."

De Concilio Ephesino constat ex eo, quod Acta Concilii sic incipiunt: "Considentibus in Sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis et sanctissimis Episcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui et Coelestini quoque sanctissimi sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, et Juvenali... Memnone... Flaviano... &c." Porro non constituisset Coelestinus Cyrillum suum in Concilio legatum, si in convocationem Concilii non

consensisset.

De Chalcedonensi constat ex Epistolis Valentiniani et Marciani ad Leonem Papam. Sic enim Marcianus scribit: "Superest ut si placuerit Beatitudini tuæ in has partes advenire et Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur.... Si vero hoc onerosum est, ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis litteris tua Sanctitas manifestet quatenus in omnem Orientem et in ipsam Thraciam et Illyricum sacræ nostræ litteræ dirigantur, ut ad quemdam definitum locum, ubi nobis* placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, et quæ Christianorum religioni, atque catholicae fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definiverit, sua dispositione declarent". Vide et priorem utriusque Imperatoris Epistolam.

Et S. Leo in Epistola ad Patres Synodi Chalcedonensis dicit: "generale Concilium et ex præcepto christianorum Principum, et ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregare".

De Concilio quod vocari solet generale Quintum, jam supra diximus quo sensu dictum sit generale, nimirum ex post-facto.

De Concilio generali Sexto constat ex Epistolis Agathonis et Synodi Romanæ ad Constantinum Imperatorem, et ipsius Constantini ad Georgium Constantinopol.^m Ex constat

hoc idem ex praesentia Legatorum tum Agathonis, tum Concilii Romani.

De Concilio generali Septimo et Octavo constat ex eo quod eis interfuerunt Legati Sedis Apostolicae.

Caetera subsequentia Concilia generalia Sedes Apostolica convocavit immediate per seipsam, ut patet ex actis Conciliorum.

Objectiones.

1°. Si Romani Pontificis sit convocare Concilia generalia, non facile explicabitur, quare ea convocarint Imperatores etiam ii, qui erant vere Catholici.

2°. S. Hieronymus lib. 2°., cap 5°. Apologiae contra Rufinum, redarguens Rufinum quod diceret Hilarium esse a Synodo damnatum, "Doce", inquit, "qui eo anno Consules fuerint, quis Imperator jusserit hanc Synodum congregari". Ubi Erasmus annotat, Imperatorum jussu solitas esse olim Synodos congregari.

3°. Potest accidere ut necessarium sit Concilium generale, nec tamen velit ipsum Papa convocare. — Potest etiam fieri ut Papa sit de haeresi suspectus, aut ut inciderit in amentiam. Ergo saltem tunc ab aliquo alio poterit convocari Concilium.

Respondeo ad 1um. Nullum assignari po-

test Concilium generale pro legitimo habitum in Ecclesia, quod ullus Imperator sua solus auctoritate, Romano Pontifice nec petente, nec consentiente, convocaverit. Quum autem Catholici Imperatores Concilia convocabant significabant implicite Episcopis Romanum Pontificem consentire et significabant implicite Præsidibus Civilibus Provinciarum dandum Episcopis et commeatum et transvectionem et præsidium ad securitatem. Et quoniam Concilia generalia sine his adminiculis congregari non poterant, relinquebant Pontifices Imperatoribus Orientalibus et curam et honorem convocationis. In Occidente vero ob majorem et Principum et Populorum devotionem erga Sanctam Sedem non erat hoc necesse.

Respondeo ad 2m. Solebant tunc temporis Imperatores Synodos convocare ob rationes modo allatas, quas et Erasmus indicare, non reticere debuisset, si Catholice magis quam Protestantice loqui voluisset.

Respondeo ad 3m. Nego Assumptum. Vi promissionum Christi non fiet unquam ut Ecclesiæ deficiat fundamentum suum, nec proinde fiet ut Papa desit Ecclesiæ in rebus necessariis. In duobus aliis casibus vel erit Papa dubius aut nullus, vel manebit adhuc Papa indubitatus: in priore ca-

sic convocabitur aut non convocabitur Concilium sicut in casu Papæ aut dubii aut defuncti: in altero casu nemo legitime convocabit Concilium generale nisi Papa.

Est jam examinanda altera pars Quæstionis 1æ, scil. cujus sit Præsidere Conciliis generalibus.

Respondeo ad hanc Quæstionem, esse hoc munus proprium, per se aut per Legatos, Romani Pontificis.

Probo. Præsidere cum potestate est in hoc casu potestative præscribere omnibus Episcopis et materias omnes et solas quas discutere debeant, et simul ordinem discussionis. Atqui talem in omnes Episcopos potestatem non habet nisi Romanus Pontifex, quia Apostolicam potestatem nemo præter ipsum habet aut exercuit unquam, sicut patet ex historia Conciliorum generalium earum quæ in Ecclesia habentur pro legitimis.

Verum quidem est in Constantinopolitano I. cui non interfuit legatus ullus Sedis Apostolicæ, et in Chalcedonensi fuisse materias discussas et decretas præter illas quas Summus Pontifex per se aut Legatos designaverat, sed isti horum Conciliorum canones approbati non sunt, et manserunt invalidi, uti videri potest ex Epistolis S. Leonis.

Confirmatur. Romani Pontificis est, utpote Centri necessarii Catholicae Unitatis. ratificare aut reprobare Concilia potestative. Non vult autem Romanus Pontifex ratificare nisi ea quae determinanda proposuit, et quae recto ordine determinata sunt, id est, juxta modum procedendi Catholicum. Ergo ejus est praesidere cujus est ratificare.

Questio 2a.

Qui et quot sint ad generale Concilium constituendum necessarii.

Ad 1m. partem questionis respondemus: debent Concilio interesse Episcopi ad illud convocati et non impediti.

Prob. 1°. Omne Concilium generale convocatur vel ad explicandam cum suprema auctoritate doctrinam fidei aut morum vel ad decernendam cum suprema potestate questionem pertinentem ad regimen universalis Ecclesiae. Atqui hanc potestatem habent ex divina institutione Episcopi cohaerentes Petro ut Capiti. Ergo vi divinae institutionis non potest sine ipsis celebrari Concilium generale legitimum.

Prob. 2°. Ex perpetua praxi Ecclesiae, ex qua constat omnia prorsus Concilia ab Episcopis celebrata fuisse. Ex hanc dispositionem

[illegible] divini asserunt Cyprianus epist. 73., Eusebius lib. 5. histor. cap. 22., Ambrosius epist. 32., Leo Papa I. epist. 15.

Nihil tamen obstat, quominus intersint

a) Imperatores seu Principes laïci, ad protegendum Concilium contra omnem violentiam, et ad manifestandam concordiam Imperii et Sacerdotii,

b) Docti quidam Clerici Inferiores aut Laïci ad praeviam discussionem materiarum in Concilio decidendarum,

c) Abbates mitrati, Generales Ordinum religiosorum, Cardinales ii qui non sunt Episcopi: hi enim non ex jure divino, sed ex privilegio Juris Ecclesiastici interesse possunt etiam cum suffragio deliberativo.

Ad alteram partem Quaestionis, scil. quot debeant Episcopi interesse Concilio, ut possit dici generale, Ven. Bellarminus respondet hoc modo:

"Non posse istam quaestionem solvi melius, quam ex consuetudine Ecclesiae, et ex iis „Conciliis, quae omnium consensu generalia „fuerunt, qualia sunt quatuor prima. Ex consuetudine autem Ecclesiae colligimus „quatuor conditiones et requiri et sufficere „ad generale Concilium. Prima est, ut vo„catio sit generalis, ita ut innotescat om„nibus majoribus Christianis provinciis. „Id enim constat semper fuisse servatum,

„adeo ut septima Synodus, act. 6. ideo indi-
„dicaverit Concilium Constantinopolitanum
„contra imagines, non fuisse generale, quia
„non exiit sonus ejus in omnem terram.

„Secunda, ut ex Episcopis nullus excluda-
„tur, undecumque veniat, modo constet eum
„eum esse Episcopum, et non excommunicatum.

„Tertia, ut adsint per se, vel per alios quatu-
„or praecipui Patriarchae, praeter Summum
„Pontificem, videlicet Constantinopolitanus,
„Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymita-
„nus, quia istis suberant omnes alii Episco-
„pi. Id patet tum ex usu, tum ex VII. Synodo,
„act. 6. ubi censetur, Constantinopolitanum
„contra imagines, non fuisse generale
„Concilium, quia non habuit Patriarchas:
„et in VIII. Synodo, act. 9. recipitur cum gau-
„dio Vicarius Patriarchae Alexandrini, tan-
„quam sine illo aliquid defuisset Synodi
„plenitudini. Porro haec tertia non omnino
„necessaria, sed tantum ad bene esse judi-
„cabatur: nam Synodus tertia sine Patri-
„archa Antiocheno damnavit Nestorium
„Constantinopolitanum; et Chalcedonensis
„Synodus, sine Patriarcha Alexandrino
„omnia fere conclusit: et nunc non sunt
„necessarii isti Patriarchae, quia haeretici
„vel certe schismatici sunt.

„Quarta, ut saltem ex majori parte Chris-
„tianarum provinciarum aliqui adveni-

« ant, et si quidem Concilium fit in Oriente
« semper visum est sufficere, si ex provinci-
« is omnibus Orientis Episcopi conveniant
« multi; ex toto autem Occidente mittan-
« tur aliqui a Summo Pontifice, qui
« suppleant aliorum locum. Et e con-
« trario, si celebretur in Occidente, con-
« veniant ex omnibus provinciis Occi-
« dentis multi; ex Oriente autem pauci
« aliqui veniant nomine aliorum.
« Sic in Concilio Niceno I. ex Occidente so-
« lum fuerunt duo Presbyteri missi ex
« Italia, unus Episcopus ex Gallia, unus
« ex Hispania, unus ex Africa. In Con-
« cilio II. et III. nulli fuerunt ex Occidente,
« sed tamen Pontifices Damasus et Coe-
« lestinus Concilia illa confirmarunt,
« nomine suo, et aliorum Episcoporum
« Occidentis, quos ipsi Romae collegerant.
« In Concilio IV. solum fuerunt legati Le-
« onis, et praeterea misit ipse consensum
« aliorum Episcoporum Hispanicae, Gallicae,
« et Italicae, qui in suis provinciis celebra-
« tis Conciliis ad Leonem scripserant, se
« in omnibus sententiam ejus sequi.
« Vide tomos Conciliorum.

« E contrario vero ad Concilia Occiden-
« tis, ut Lateranense sub Innocentio III.
« Lugdunense sub Gregorio X. Viennense
« sub Clemente V. ac nuper Tridentinum

„venerunt Episcopi frequentes ex toto Occiden-
„te, ex Oriente vero pauci quidam dunta-
„xat. Ex quo sequitur, posse interdum
„Concilia nationalia esse multo ma-
„jora generalibus, quoad numerum
„Episcoporum, et tamen minora quo-
„ad auctoritatem; nam Concilium II.
„tantum habuit 150 Episcopos ex variis
„provinciis et nationibus, et Concilium
„Carthaginense nationale ex sola Africa,
„tempore B. Augustini, habuit Episcopos
„217, ut refert Prosper in Chronico anni
„420."

Salvo meliori judicio, videtur memoratis Bellarmini responsis, adjungi posse, Romani Pontificis esse in casu dubii, declarare cum auctoritate, utrum numerus Episcoporum, qui praesentes adsunt, sit ad generale Concilium sufficiens, an vero plures adhuc requirantur.

Nam in casu dato, decisio dubii pertinet vel ad Episcopos adunatos, vel ad Pontificem, nec potest, ut mox videbitur, inveniri alius terminus divisionis. Atqui seorsum a Pontifice nequeunt Episcopi adunati quaestionem hanc decidere auctoritative, quia ex hypothesi dubitatur utrum numerus eorum sit sufficiens, ut constituant cum Pon-

tifice concilium vere generale; Episcopi vero adunati, nisi constet eos constituere Concilium vere generale, non gaudent auctoritate in universam Ecclesiam.

Hinc sequitur etiam, quod Episcopi isti etiam cum Pontifice deliberantes, non constituant Concilium generale, quia, ut ponimus, manet dubium utrum eorum, etiam cum Pontifice conjunctorum, numerus sufficiat ad Concilium efficiendum generale.

Restat ergo ut decisio quaestionis, utrum adsit numerus Episcoporum sufficiens ad concilium generale, dependeat a judicio solius Romani Pontificis, in casu dato.

Confirmatur data responsio, ex eo quod decisio hujus quaestionis pertinet ad eum, cujus est decidere, utrum huic Episcoporum coetui possit praesidere ut Concilio vere generali, ejusque Decreta ratificare et promulgare, ut Decreta Concilii vere generalis. Atqui ex ante probatis pertinet istud ad solum Pontificem. Ergo &c . . .

Quaestio 3ª

Suntne Episcopi in Concilio generali Judices an Consiliarii? —

Quaestio haec ad rem, de qua hucusque egimus non pertinet, sed est opportuna hoc loco, quia praeparat ad solvendas objectiones contra Propositionem quae proxima sequitur, scil. de Auctoritate Conciliorum generalium.

Respondeo, Episcopi in Concilio generali Judices sunt non meri Consiliarii.

Nam ex Prop. 12ª. contulit Christus Corpori Pastorum coactivam potestatem in docendo et regendo omnes gentes adeoque universam Ecclesiam. Atqui Corpus Pastorum constituitur (Prop. 13ª. 15ª. et 16ª.) ex Episcopis unitis cum Romano Pontifice. Ergo eis sic unitis contulit Christus potestatem in docendo et regendo universam Ecclesiam. Ergo quia coactiva potestas in docendo et regendo nihil aliud est quam potestas ferendi in doctrina fidei et morum sententiam seu judicium obligans, et ferendi decreta disciplinaria, quae pariter obligent, restat ut dicamus collatam esse Episcopis potestatem judiciariam, eamque tum maximam, quum statuunt quidquam pro universa Ecclesia.

Atqui nunquam magis publice et solenniter decernunt pro universa Ecclesia, quam quum expresse ad hunc finem, qui est finis omnis Con-

cilii generalis, ad unum locum ex toto Orbe convocantur, eorumque Decreta confirmentur a Sede Apostolica ut Decreta Concilii vere generalis.

Confirmatur. Conciliis generalibus subscripserunt Episcopi hac forma verborum: definiens subscripsi, judicans subscripsi, statuens subscripsi; nec quisquam ita subscripsit unquam, qui non esset Episcopus, aut locum ejus tenens.

Objectiones.

Obj. 1ª. Si omnes Episcopi essent Judices, sequeretur Summum Pontificem debere in judicando sequi judicium plurimorum, non vero pauciorum. Atqui potest major pars Concilii labi in errorem. Ergo si Episcopi sint Judices, poterit fieri ut Concilium ipsum, id est, Papa cum majori parte, errorem doceat. Hoc autem Catholici non admittunt. Ergo neque debent admittere Episcopos esse judices.

Respondemus 1º, negando Assumptum, quia Papae Auctoritas utpote Universalis, major est auctoritate cujuscumque numeri Episcoporum, spectatorum seorsim a Pontifice, sic

enim spectati nullam habent Episcopi auctoritatem in universam Ecclesiam. Et patet veritas responsionis ex historia Concilii Ariminensis. Non debet autem major auctoritas necessario concordare cum ea quae minor est.

Respondemus 2°. Dato, et non concesso, quod Papa debeat sequi sententiam partis majoris, distinguo Minorem: spectato solo numero, potest pars major labi in errorem, concedo; spectata vero majoris partis conformitate cum sententia ejus qui est fundamentum Ecclesiae docentis, Nego Mim. Sic enim uniti cum Petro Episcopi constituunt Corpus illud Pastorum, quocum Christus est omnibus diebus.

Object. 2a Episcopi nec ante Pontificem judicare possunt, nec post prolatam ab eo sententiam. Ergo nequeunt judicare omnino. Non ante Pontificem: quia eorum sententia ante sententiam Pontificis, adhuc est fallibilis, adeoque non coactiva, adeoque non judicialis. — Neque post Pontificis sententiam tum quia secus judicarent de ipsa Pontificis sententia, tum quia post Pontificem, non est Episcopis liberum sententiam ferre a Pontificis sententia diversam, nisi velint fieri haeretici aut

schismatici.

Respondeo: Sententia Episcoporum est judicialis in foro externo ante sententiam Pontificis, quia est sententia lata ab iis quorum publicum Officium est judicare: est autem judicialis et irrepudiabilis in foro interno et externo simul, quamprimum cognoscitur congruere cum sententia Capitis Corporis Pastorum. Episcoporum enim sententia non est sententia Corporis Pastorum, antequam accedat sententia Capitis, sine quo nimirum coetus Pastorum non est Corpus illud, cui promissa est assistentia Christi

Post Pontificis autem sententiam Episcoporum est judicare an sententia, quae dicitur Pontificis sit Authentica; ipsorum quoque est examinare fundamenta hujus sententiae, ac denique attestari ex Officio an sententia reapse fundata sit in doctrina quam Ecclesia professa est ab initio.

Sed non ideo arrogant sibi Episcopi facultatem rejiciendi, si libuerit, sententiam Pontificis, uti existimare possunt ii qui discrimen inter Ecclesiam et societatem civilem non satis attendunt. In Ecclesia nimirum nunquam eveniet ut Pastorum Corpus dissolvatur,

[illegible] Episcopos [illegible] et [illegible] in Ecclesia [illegible] a Petro et [illegible] qui in Ecclesia [illegible] et [illegible] in regimine. Ergo [illegible] est et omnes Episcopi [illegible] in Ecclesia [illegible], consensus cum Romano Pontifice in Ecclesia et regimine. 2° [illegible], [illegible] sit [illegible] in Ecclesia adhaesionem [illegible], [illegible] est [illegible] omnes Dogmatica [illegible]. [illegible] Dogmatica [illegible] Pontifex [illegible] Dogmaticam. Ergo [illegible] Pontifici [illegible] Episcopi [illegible] cum plena [illegible] de [illegible] Catholicorum [illegible].

Quae [illegible] libertate [illegible] Pontifices, [illegible] liberum [illegible] et fidem.

§. 2.

Quanta est Auctoritas Conciliorum generalium.
Respondemus, tantam esse auctoritatem Conciliorum quae Corporis Pastorum est. Probatum autem jam est Corporis hujus Auctoritatem esse in Doctrina infallibilem, et in Regimine Ecclesiae supremam. (Prop. 12°.) Ergo tanta etiam est Auctoritas Conciliorum generalium.

Prob. Major. Concilium generale nihil aliud est ex ante dictis, quam Corpus Pastorum convocatum, et adunatum ad statuendum in doctrina aut regimine Ecclesiae universalis. Ergo Concilium universale eam praecise auctoritatem habet, quam habet Corpus Pastorum.

Prob. Ant. Concilium generale est ex iis quae hactenus probavimus, coetus Episcoporum a Rom. Pontifice convocatus ad statuendum in doctrina aut regimine Ecclesiae universalis, et quem, quum adunatus est, Romanus Pontifex declarat esse in numero sufficienti ad statuendum in doctrina aut regimine Ecclesiae universalis.

Non declarat autem Romanus Pontifex numerum Episcoporum adunatorum sufficientem esse ad decernendum in doctrina aut regimine universalis Ecclesiae, nisi tantus sit ut Corpus Pastorum repraesentet sufficienter quoad finem intentum in convocatione Concilii.

Nam habet Caput Ecclesiae assistentiam Christi sibi promissam quoad omnes functiones Capitis, in ipsa illa institutione divina quae ipsum facit esse Caput Ecclesiae, et in promissione assistentiae facta Corpori Pastorum, adeoque hujus Corporis Capiti non minus quam membris ejus. Porro ad talis Capitis functiones pertinet, ut ante probatum est, determinare in coetu Episcoporum hic et nunc adunatorum ea praestare posse, quae a Corpore Pastorum praestari possunt aut debent.

Ergo omne Concilium generale est ipsum Corpus Pastorum adunatum quanto numero debet, ad statuendum in doctrina aut regimine Ecclesiae universalis.

Nec obstat huic Conclusioni, quod cujuscumque generalis Concilii Patres nunquam fuerint Episcoporum omnium vel dimidia pars: quia assistentia Chi. non est adstricta ad praesentiam Episcoporum omnium, sed ad necessitates Ecclesiae et ad judicium Ejus qui ut Caput Ecclesiae debet Ecclesiae necessitatibus ex officio providere. Et sic semper Ecclesia Catholica sensit. Ut enim semper venerata est tanquam Concilia Corporis Pastorum illa omnia et sola quae Romanus Pontifex pro talibus habuit, sic etiam habuit pro Conciliis Corporis Pastorum octodecim illa Concilia generalia superius enumerata, quamvis non fuerit in iis omnium Episcoporum pars dimidia, tertia, quarta aut quinta. Hoc autem Ecclesiae testimonium sive sumas pro testimonio Ecclesiae divinitus infallibilis aut pro testimonio uniformi Societatis toto Orbe diffusae inde a saeculis octodecim, adeoque pro testimonio naturaliter infallibili, ad veritatem quidem Thesis nostrae nihil interest.

Confirmatur. Concilium Jerosolymitanum, de quo sermo est Actorum 15°. determinavit et quaestionem fidei de abrogatione Legis Ceremonialis per Christum facta, et legem disciplinarem tulit de abstinendo

a Theologis, [illegible] et comprimis et aliorum quod Decretum valebat pro universa Ecclesia, in omnibus saltem regionibus ubi cum gentibus permixti Judaei essent. Ergo Decreta ista, utpote pertinentia ad universam Ecclesiam, lata fuerunt in Concilio tanquam a Corpore Pastorum.

Probatur Consequentia. Non fuerunt haec Decreta lata praecise vi universalis Potestatis quae singulis Apostolis fuerat collata: quia in hac hypothesi nec erat cur congregaretur Concilium, nec erat cur ferretur Decretum ex auctoritate Seniorum, id est, Episcoporum illorum qui non erant Apostoli; incipiebat enim Decretum his verbis, Apostoli et Seniores fratres, his qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae fratribus ex gentibus; ergo ferebatur Decretum et conditum a corpore Pastorum, quandoquidem Auctoritas Universalis nulla fuit in Ecclesia nisi singulorum Apostolorum, et Corporis Pastorum.

Jam vero huic Concilio non intererant ex omnibus Apostolis, nisi Petrus Jacobus Joannes (ut Baronio videtur ad an. 51.), et Paulus; Episcoporum autem ii solum intererant qui tunc versabantur Jerosolymis.

Ergo habemus jam anno Domini 51 aut juxta alios 52 Concilium celebratum [illegible] corpore Pastorum, quamvis non [illegible]

apostoli, vel omnes qui in Syria et Cilicia, aut alibi erant Episcopi.

Objectiones

Obj. 1a Potest Decretum Concilii generalis a Pontifice approbatum rursum discuti et reformari. Sic enim Augustinus lib. 2. De Baptismo, cap. 3o. ait plenaria Concilia priora emendari posterioribus. Plenaria autem Concilia accipit Augustinus pro generalibus. Ergo

Resp. Locus ex Augustino citatus sic habet "quis autem nesciat ... ipsa Concilia quae per singulas regiones vel provincias fiunt plenariorum Conciliorum auctoritati quae fiunt ex universo orbe christiano sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat." Hunc locum, si intelligatur de Conciliis generalibus, Bellarminus sic interpretatur, ut leges disciplinares latae in priori Concilio generali possint in posteriori Concilio mutari. Posset forte etiam dici locum illum vel non esse genuinum Scripturam Augustini vel in omni casu esse historicae veritatis contrarium, abstrahendo ab auctoritatis in quaestione nostra. Mortuus enim est Augustinus paulo ante celebrationem Concilii Ephesini, ergo non poterat Augustinus novisse alia Concilia generalia praeter Nicaenum, Sardicense et Constantinopolitanum 1m. Atque in nullo horum Conciliorum emendatum invenitur aliquod plenarii generalis Concilii praecedentis

tamen locus Augustini loquatur de emendatione et facta et saepe facta. Igitur ostendat Adversarius locum istum non esse contrarium historiae, et deinde videbimus quid amplius respondendum sit.

Obj. 2a. S. Gregorius Naz. in Epist. ad Procopium sic loquitur: "Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilii finem laetum faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum habuerit."

Respondet Bellarminus, non negare Nazianzenum legitima Concilia certam fidem facere, sed queri suo tempore nullum Concilium fieri potuisse omni ex parte legitimum, id quod verissimum est. Nam Gregorii aetas incidit in tempus medium inter Concilium primum et secundum generale, quo tempore plurima facta sunt Concilia (particularia), quae propter multitudinem Episcoporum haeretici faventium, infaustum exitum habuerunt, qualia fuerunt Seleuciense, Tyrense, Ariminense, Mediolanense, Syrmiense, etc. Quum ergo suo tempore tot vidisset mala Concilia, et nullum bonum, et tamen vocaretur a Procopio nomine Imperatoris ad Concilium quoddam, duas excusationes adhibuit; unam, quod desperaret se legitimum Concilium eo tempore visurum: alteram, eamque praecipuam, quod morbo gravissimo detineretur. Confirmatur haec solutio ex Basilio

qui eodem tempore floruit, et qui Epist. 52ª ad Athanasium, dicit videri sibi impossibile, ut eo tempore fieret legitimum Concilium.

Obj. 3ª Concilium Africanum in Epistola ad Coelestinum Papam, asserit minus posse Provinciale Concilium istud errare quam Papam. Ergo, quum certum sit Provinciale Concilium posse errare, etiam certum est, juxta Patres Concilii hujus Africani, etiam Papam posse errare. Si autem errare possit ipse Papa, jam nihil obstabit quominus erronea possint esse Decreta Conciliorum generalium, etiam quum a Papa confirmata sunt.

Resp. Concilium istud Africanum tantummodo dicit minus posse Romanum Pontificem accurate examinare quaestiones facti, quam eos Episcopos qui sunt in ipso loco ubi factum criminosum dicitur contigisse. Loquuntur scil. de nimia facultate appellationum a judicio Episcoporum ad judicium Papae. Sed hoc ad thesim nostram nihil facit, quia nemo theologus praetendit Papam aut Concilium generale non posse errare in quaestione facti, cujus cognitio non sit conditio necessaria ad custodiam depositi fidei christianae.

Obj. 4ª. Nec e Scripturis, nec e divinis Traditionibus habemus quod hoc illudve Concilium generale sit legitime convocatum ac celebratum, sed tantum historica certitudine id cognoscimus. Ergo non divina, sed humana

tantum fide [illegible] potest [illegible] [illegible] quia
liber Conciliis [illegible] proponuntur.

Resp. Huic objectioni quae non huic sed ad
Prop 14^m referenda est, satisfaciunt ea quae adhuc
vidimus. Nam ex promissionibus Xti, infallibi-
lis Ecclesiae Christi semper agnoscit viam suffi-
cientem ad divinam fidem certitudinem. 1º Cum Cor-
pus Pastorum quidpiam credendum [illegible]
proponat, proinde 2º) semper agnoscit viam suffi-
cientem ad divinam fidem certitudinem in hoc quod
illa coetus Pastorum, sit [illegible] Pastorum [illegible]
Et 3º) [illegible] est [illegible] Catholicae [illegible]
[illegible] Pastorum quidpiam [illegible] [illegible]
semper [illegible], [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
fides [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
Pastorum, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
modo oportet [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] et [illegible]
[illegible] naturaliter certa, Divina Providentia [illegible]
ut fidelium mentes ita dirigat ac moveat,
quemadmodum [illegible] Deus necesse esse ad compre-
hendam fidem divinam. 3º) Si quaeras quod-
nam sit motivum objectivum propter quod
concipiatur fides vel humana vel divina de
legitimitate alicujus Concilii, respondemus,
fidem humanam hanc generat histori-
ca certitudo quod impletae fuerint con-
ditiones omnes ad legitimitatem Concilii

requisitae; divinam fidem hujus facti generat promissio Christi pollicentis Corpori Pastorum infallibilem cognitionem impletionis conditionum quae ad infallibile Decretum requiruntur ac sufficiunt. Nam infallibilitas in docendo continet implicite formaliter infallibilitatem circa conditiones sine quibus Decreta Corporis Docentis non sunt infallibilia: sicut infallibilitas in effectu procurando, dicit infallibilitatem in ponenda causa ejus adaequata.

Quaestio 4a.

Quanta sit Auctoritas Conciliorum particularium.

Concilia particularia vocamus ea quae nationalia, aut provincialia sunt. De eorum Auctoritate loquitur Bellarminus, de Concilior. Autor. lib. 2. cap. 10. ubi nomine Provincialium Conciliorum intelligit etiam Nationalia.

"De Provincialibus igitur duo ex communi sententia Catholicorum asserimus, posse ejusmodi Concilia absolute errare, tamen magnae esse auctoritatis, ita ut temerarium sit eis non acquiescere. Quod ejusmodi Concilia possint errare, testis est Carthaginense Concilium sub Cypriano, quod fuit nationale, celeberrimum, legitimum, Episcoporum 85. quorum plerique Martyres, aut Confessores erant, ut patet ex epistola Cypriani ad Jubaianum, et tamen erravit. Secundo, testis est quinta Synodus Romana sub Symmacho, ubi legimus, Concilia provincialia, quia praesen-

tiam Papae non habent, valitudinem perdidisse. Tertio, Prosper in Chronico anni 420. dicit, haeresim Pelagianam a Concilio Africano 217. Episcoporum damnatam non prius ab Ecclesia totius orbis damnatam, quam Zozimus Papa Decreta Concilii illius probasset. Unde etiam Augustinus lib. 2. retract. cap. 50 non dicit, haeresim Pelagianam a Conciliis Africanis, quae particularia erant, damnatam; sed a Pontificibus Innocentio, Zozimo, cooperantibus Africanis Conciliis. Quarto, cur Concilia generalia errare non possint, duplex est causa praecipua. Prima, quia Concilium generale totam Ecclesiam repraesentat, et ideo ipso errante tota Ecclesia erraret: Secundo, quia Concilium generale non fit sine summo Pontifice, pro quo Christus oravit, ut non deficeret fides ejus. At nulla harum causarum locum habet in Concilio particulari.

Sed contra objicies, nam cap. Ad abolendam, extra, de haereticis excommunicantur omnes illi, qui judicantur haeretici ab Ecclesia Romana vel a Concilio provinciali, aut dioecesano: Concilia igitur provincialia, et dioecesana faciunt dogmata de fide, alioqui non esset haereticus, qui ea negaret.

Respondeo, duobus modis posse judicari de haeresi: Uno modo de ipsa haeresi secundum se, et quasi in abstracto, ut cum quaeritur, an sit haereticum, hoc, aut illud dicere: Altero modo in ordine ad hominem haereticum, ut cum quaeritur, an hic inciderit in haeresim ab Ecclesia damnatam. Quamvis igitur Concilia provincialia, vel dioecesana non

possunt dogmata fidei constituere, tamen possunt judicare, an aliquis inciderit in haeresim manifestam, sicut etiam judicant inquisitores. Ad hunc finem collectum fuit Concilium Aquileiense tempore Ambrosii: nihil enim ibi definitum est, nisi Palladium quendam verum esse Arii Discipulum, et de hoc videtur praecipue agere caput illud, ad abolendam, de haereticis. Etsi enim hoc judicium non sit infallibile, tamen sufficit ad excommunicandum.

Praeterea secundo dico, posse etiam Concilia particularia cognoscere de haeresi secundum se, quando res est facilis, et in qua omnes fere Doctores conveniunt: quomodo Concilium Antiochenum olim judicavit de haeresi Pauli Samosateni apud Eusebium lib 7. hist. c. 24. convenerunt enim undique Episcopi, non tanquam ad rem dubiam, sed tanquam ad manifestum lupum de ovili Christi ejiciendum. Etsi enim hoc judicium non sit prorsus infallibile, tamen debent privati homines acquiescere ejusmodi judicio, et si secus egerint, merito excommunicantur, donec non judicaverit aliter Apostolica sedes, vel Concilium universale.

Denique tertio dico, posse etiam Concilia particularia definire dogmata vere dubia, et eorum decreta esse firma, si id faciant ex commissione Apostolicae sedis, ut fecerunt Patres Concilii Arausicani II. et Toletani I. tempore Leonis I. et Synodi Complutensis, tempore Sixti IV. de quo vide summam Conciliorum. Vel saltem si decisionem suam mittant ad Romanum Pontificem,

et ab eo confirmationem accipiant: quomodo constat factum esse in Conciliis Milevitano, et Carthaginensi, ex Augustino epist. 90. 91. 92. 93. Immo credibile est, nullum Concilium particulare definivisse aliquid de fide, sine approbatione Apostolicae sedis. De his omnibus intelligi potest illud c. Ad abolendam.

Quod autem Concilium particulare non expresse confirmatum, faciat argumentum adeo probabile, ut temerarium sit ei non acquiescere, planum est. Primo, quia in 7. Synodo, act. 3. et in 8. Synodo, act. ult. can. 1. honorantur Synodi locales, et suscipiuntur, nec fit mentio ibi confirmatorum, vel non. Secundo, quia plurima horum Conciliorum, ut Toletana, Bracharensia, Arelatensia, Hispalensia, etc. videntur ipso usu Ecclesiae quodammodo probata. Tertio, quia si aliquot sancti Patres casu in eamdem sententiam convenientes faciunt argumentum probabile, quanto magis 50. aut 60. Episcopi simul convenientes, et invocato Spiritu Sancto, aliquid communi consensu statuentes?

Art. 5us

De Romanorum Pontificum Definitionibus Dogmaticis.

Loquimur de Definitionibus dogmaticis sufficienter promulgatis, adeoque acceptatis ab Ecclesia Rom^{a}, ut Definitionibus authenticis Episcopi Romani, Successoris Petri, docentis Ecclesiam universalem.

Solemnitas publicationis talium Decretorum

varia fuit pro varietate temporum. Solebant antiquitus ejusmodi Decreta condi ac publicari vel praesente Clero Romano, ut in causa Pelagianorum factum est; vel in et cum Concilio coacto ex Episcopis Italiae, aut Occidentis, ut factum est in causa Macedonii, Nestorii, Monothelitarum. — Postmodum solemnitas adhibita in hac occasione fuit convocatio Consistorii Cardinalium Ecclesiae Romanae, et publicae indictae preces ad implorandum lumen divinum. Sed omni tempore, Ecclesiae Romanae traditio attestans hoc illudve Decretum Dogmaticum a Romano Pontifice editum fuisse, sufficiens fuit signum ejus authenticitatis, scil. ut editi ab universali Ecclesiae Capite, qua tali. Hinc tot illa totius Antiquitatis Encomia illius fidei quam Ecclesia Romana profitetur

§. 1.

Status quaestionis

De Definitionibus Pontificiis, munitis ea quam diximus solemnitate, ex ipsa ... sunt ea quae Vener. Bellarminus de his Definitionibus docet, tum in Statu quaestionis, (de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 2.), tum in Propositionibus quas ha de re ponit, (Cap. 3. et 4.)

Statum quaestionis Bellarminus sic aperit, Cap. 2. "Sciendum est initio, Pontificem quatuor modis posse considerari. Uno modo, ut est persona quaedam particularis, sive Doctor particularis. Secundo, ut Pontifex, sed solus. Tertio, ut Pontifex

sed adjuncto coetu solito consiliariorum. Quarto, ut Pontifex, sed una cum Concilio generali.

Secundo observandum est posse duo quaeri de Pontifice, omnibus quatuor modis considerato, quando quaeritur, an possit errare. Primo, an ipse possit esse haereticus. Secundo, an possit haeresim docere. Denique annotandum est tertio, sententias et decreta Pontificum interdum versari in rebus universalibus, quae toti Ecclesiae proponuntur, qualia sunt decreta de fide et praecepta morum generalia; interdum in rebus particularibus, quae ad paucos pertinent, quales fere sunt omnes controversiae facti, ut an talis sit promovendus ad Episcopatum, an jure fuerit promotus, an videatur deponendus.

His notatis, conveniunt omnes Catholici, et haeretici in duobus. Primo, posse Pontificem etiam ut Pontificem, et cum suo coetu consiliariorum, vel cum Generali Concilio, errare in controversiis facti particularibus, quae ex informatione testimoniisque hominum praecipue pendent. Secundo, posse Pontificem, ut privatum Doctorem errare, etiam in quaestionibus juris universalibus tam fidei, quam morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit.

Deinde Catholici omnes in aliis duobus conveniunt, non quidem cum haereticis, se solum inter se. Primo, Pontificem, cum generali Concilio non posse errare in condendis fidei decretis, vel generalibus praeceptis morum. Secundo, Ponti-

ficem solum, vel cum suo particulari Concilio, aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.

Quibus ita constitutis, quatuor tantum remanent diversae sententiae. Prima est. Pontificem, etiam ut Pontificem, etiamsi cum generali Concilio definiret aliquid, posse esse haereticum in se, et docere alios haeresim, et de facto aliquando ita accidisse. Haec est haereticorum omnium hujus temporis et praecipue Lutheri, qui in libro de Conciliis notavit errores eorum etiam Conciliorum generalium quae summus Pontifex approbavit: et Calvini, qui lib. 4. Instit. cap. 7. § 28. asserit, aliquando Pontificem cum toto Cardinalium collegio manifestissimam haeresim docuisse, nimirum animam hominis cum corpore extingui: quod tamen manifestum mendacium esse, postea ostendemus. Deinde in eodem libro cap. 9. § 9. docet, etiam cum generali Concilio Papam errare posse.

Secunda sententia est, Pontificem etiam ut Pontificem, posse esse haereticum, et docere haeresim, si absque generali Concilio definiat, et de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem sequitur, et tuetur Nilus in suo libro adversus Primatum Papae, eandem secuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson, et Almain in libris de potestate Ecclesiae, nec non Alphonsus de Castro lib. 1. c. 2. contra haereses, et Adrianus VI. Papa in quaestione de confirmatione: qui omnes non in Pontifice, sed in Ecclesia sive in Concilio generali tan-

tum constituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei.

Tertia sententia est in alio extremo, Pontificem non posse ullo modo esse haereticum, nec docere publice haeresim, etiamsi solus rem aliquam definiat. Ita Albertus Pighius libro 4. hier. Eccles. cap. 8.

Quarta sententia est quodammodo in medio, Pontificem, sive haereticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid haereticum, a tota Ecclesia credendum: haec est communissima opinio fere omnium Catholicorum: ut B. Thomae 2.2. q. 1. art. 10. Thomae Waldensis lib. 2. Doctr. fidei, cap. 47. et 48. Joannis de Turrecremata lib. 2. Summae, cap. 109. et sequentibus; Joannis Driedonis lib. 4. de Ecclesiast. dogmat. cap. 3. par. 3. Caietani in opusculo de potestate Papae, et Concilii, cap. 9. Hosii lib. 2. contra Brentium, qui est de legitimis judicibus; Joannis Eckii lib. 1. de Primatu Petri, cap. 18. Joannis a Lovanio libro de perpetua cathedrae Petri protectione, et firmitate, cap. 11. Petri a Soto in Apologia sua, part. 1. cap. 83. 84. 85. et Melchioris Cani lib. 6. cap. 7. de locis.

Videntur quidem hi auctores dissentire aliquo modo inter se: quia quidam eorum dicunt, Pontificem non posse errare, si mature procedat, et consilium audiat aliorum Pastorum; alii dicunt, Pontificem etiam solum nullo modo posse errare. Sed revera non dissident inter se. Nam posteriores non volunt negare, quin teneatur Pontifex mature

procedere et consulere viros doctos; sed solum dicere volunt ipsam infallibilitatem non esse in coetu consiliariorum, vel in Concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice: sicut e contrario priores non volunt ponere infallibilitatem in consiliariis, sed in solo Pontifice. Verum explicare volunt Pontificem debere facere quod in se est, consulendo viros doctos, et peritos rei de qua agitur. Si quis autem peteret, an Pontifex erraret si temere definiret? sine dubio praedicti auctores omnes responderent, non posse fieri ut Pontifex temere definiat: qui enim promisit finem, sine dubio promisit et media, quae ad eum finem obtinendum necessaria sunt. Parum autem prodesset scire, Pontificem non erraturum quando non temere definit; nisi etiam sciremus non permissuram Dei providentiam, ut ille temere definiat.

Ex his quatuor sententiis prima est haeretica; secunda non est proprie haeretica: nam adhuc videmus ab Ecclesia tolerari qui illam sententiam sequuntur; et tamen videtur omnino erronea et haeresi proxima, tertia probabilis est, non tamen certa; quarta certissima est et asserenda, ac ut ea facilius intelligi et confirmari possit statuemus aliquot propositiones."

Quod autem dicit Ven. Bellar: secundam opinionem, illam scil.

quae post Bellarmini tempora in Conventu Gallicano anni 1682 demum asserta fuit, ultro in Ecclesia Latina, plures melioris [illegible] magnam, praeterea dicere non sane jam vi[illegible] tempore extitisse, quamvis Bellarmini tempore recens fuit. Non enim [illegible] sane illa [illegible] propositae [illegible] in Ecclesia Latina quod Ecclesiae Capiti adhaerebant, atque illius unanimiter in sententia et hoc multis annis manent [illegible] Constitutionum [illegible] quas [illegible] XIV [illegible] nec [illegible] Hadri[illegible] [illegible] Conventus illius Gallicani. Atque dictum in Ecclesia Latina Gallicanam quod et Clemens (Capite Innocentio XI (1682), et ab Alexandro VIII (1690), et a Pio VI (1794) damnata est, hac [illegible] declarationem ad universalem Ecclesiam et quae [illegible] habent, quae acta Conventus Gallicani, vix ut prodierunt, praedecessor noster venerabilis Innocentius XI in litteris in forma Brevis die 11a Aprilis anni 1682, post autem expressius Alexander VIII Constitutione Inter multiplices die 4a Aug. anni 1690, pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, rescinderunt, nulla et irrita declararunt, multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo, recentem horum factam in Synodo (Pistoriensi) tot vitiis

appellari adoptionem, velut [illegible] et
[illegible], ac [illegible] [illegible]
praedecessorum [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] et [illegible], [illegible] [illegible]
Constitutionis [illegible] et [illegible]
et per [illegible] et [illegible] [illegible]
[illegible]

§ 2.

Quaenam sit auctoritas Definitionum Dogmaticarum Romani Pontificis, quando is, quasi de Petri et Successoribus suis [illegible] dixit?

Resp. In Definitionibus suis dogmaticis Romanus Pontifex infallibilis est.

Prob. 1°

Probatur 1° conspicitur ex eo quod Christus ad [illegible] Matt. 16 et 18 [illegible] Luc. 22 [illegible] [illegible] [illegible]

Prop. 1ª [illegible] [illegible] [illegible] (Matt. 16) constitutionem fundamentum [illegible] [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

[illegible] [illegible] non est [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

ficienti ad stabiliendam fidem ejus.

Ergo Petro solemniter docenti universam Ecclesiam, universa Ecclesia semper adhaerebit ut auctoritati sufficienti ad stabiliendam fidem Ecclesiae.

Ecclesiae autem universae, qua universae, contulit Christus Infallibilitatem in professione fidei (Prop. 14.). Ergo vicissim contulit Christus Petro Infallibilitatem in docendo Ecclesiam universam, quae docenti Petro semper adhaerebit.

Hujus argumenti nulla videtur esse pars quae ampliorem adhuc confirmationem desideret, nisi illa qua dicitur Petrum esse fundamentum Ecclesiae respectu fidei. Quod ut amplius exponamus, subjungemus datam a Patribus interpretationem verborum Christi, Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.

S. Hilarius lib. 6° de Trinit. num. 36. et 37. "Super hanc igitur confessionis Petram Ecclesiae aedificatio est"..... haec fides Ecclesiae fundamentum est", ubi videmus Ecclesiam aedificari, fundari super fidem quam Petrus confitetur.

S. Ambrosius de Incarn. cap. 5. num. 34. "Fides ergo est Ecclesiae fundamentum: non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portae mortis ei non praevalebunt."

S. Epiphanius, Haeresi 56ª num. 7.: "Princeps Apostolorum Petrus..... qui quidem solidae Petrae instar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur, supra quam Ecclesia modis omnibus aedificata est."

S. Ioan. Chrysostomus hom. 54. alias 55. in Matth. n. 2.: "Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam, id est, super fidei confessionem." — Homil. 82. alias 83. in Matth. n. 3.: "Super confessionem ejus (scil. Petri), Ecclesiam ita fundavit et munivit, etc." — In Cap. I. ad Galat.: "Itaque quum Petro dixisset, Beatus es Simon Bar Iona, promisissetque ut Ecclesiae fundamenta super illius confessionem jaceret, etc." — Homil. de Debitore decem millium talentorum Petrum vocat firmamentum fidei, confessionis fundamentum.

S. Augustinus Tract. 7. in Ioan. no. 20.: "Nominavit Petrum et laudavit firmamentum Ecclesiae in ista fide." — In Psalm. 69. n. 4.: "Petrus qui paulo ante eum (scil. Christum) confessus erat Filium Dei, et in illa confessione appellatus erat Petra supra quam fabricaretur Ecclesia, etc."

Theodoretus Epist. 77. ad Eulalium: "Dominus noster Apostolorum Principem, cujus confessionem velut

[illegible] petram [illegible] et fundamentum Eccle-
siae [illegible] etc.

[illegible] Petrus Chrysologus serm. 154 [illegible]: "Petrus a Petra nomen ad-
eptus est, quia primus meruit Eccle-
siam fidei firmitate fundare."

[illegible] Gregorius Lib. 4. Epist. 32. ad
Theodolindam: "in veritate [illegible] manetis,
et [illegible] in Petri Ecclesiae,
hoc est, in confessione Beati Petri Ap-
ostolorum Principis soliditate."

Jonas Aurelianensis, Lib. 3.
de cultu Imaginum: "Multi namque
et nunc nomine, Petrum, supra quam fun-
data Ecclesia, fidem intelligunt S.
Petri, quae communis est cuncti [illegible]
Ecclesiae, etc.

Prolegomena Conciliorum
anno 809 can. 13 [illegible] de Ecclesia,
quae [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
capite super Petrum [illegible] supra con-
fessionem Petri est aedificata, etc."

Thomas Cantuariensis
Epist. 97 Lib. 1: "Firmata in fide et doc-
trina Petri totius Ecclesiae [illegible]
[illegible]"

[illegible] Deinde [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

confitenti ait: [illegible] ego [illegible] es tu Petrus, et super hanc Petram, id est, super hanc fidem meam qua me dixisti Filium Dei, aedificabo Ecclesiam meam."

S. Thomas 2.2. q. 174. a. 6.: "Super hanc Petram, scilicet confessionis tuae, aedificabo Ecclesiam meam."

Prob. 2a

Probatur 2a petitur ex Christi verbis ad Petrum relatis Lucae 22. v. 31. 32. Cujus explicationem petimus e Bellarmino lib. 4. cap. 3

Simon, Simon, ecce Satanas [illegible] in Graeco ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Luc. 22. [illegible] Hunc textum multis exponi solet. [illegible] [illegible] [illegible] extra [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Ecclesia [illegible] pro Petro et [illegible] Ecclesiae figuram [illegible] [illegible] fides Ecclesiae [illegible] [illegible], quae expositio [illegible] [illegible] immediate rogatum sit pro Capite Ecclesiae, et consequenter pro toto corpore quod hoc caput repraesentabat, vera erit; sed non ita [illegible] [illegible] pro tota Ecclesia esse [illegible]. [illegible] expositio falsa est

Primo, quia Dominus unam tantum personam designavit, dicens bis: '<u>Simon</u>, <u>Simon</u>', et addens toties pronomen secundae personae, '<u>pro te</u>, <u>fides tua</u>, <u>et tu</u>, <u>fratres tuos</u>.' Quorsum enim haec? nisi ut intelligamus aliquid speciale Petro a Christo esse impetratum.

Secundo, quia Dominus coeperat loqui in plurali: '<u>Satan expetivit ut cribraret</u> vos.' Deinde mox mutavit formam loquendi, et ait: '<u>Ego autem rogavi pro te</u>.' Quare non dixit, pro vobis, ut coeperat? Certe si de tota Ecclesia loqueretur, multo rectius debuerat rogare pro vobis.

Tertio, Dominus pro illo rogat, cui ait: '<u>Et tu aliquando conversus</u>;' at hoc certe non potest Ecclesiae toti convenire, nisi dicamus totam Ecclesiam aliquando esse pervertendam, ut postea iterum convertatur.

Quarto, pro illo rogat, cui ait: '<u>Confirma fratres tuos</u>.' At Ecclesia non habet fratres quos debeat aut possit confirmare: qui enim, quaeso, fingi possunt Ecclesiae universalis fratres? nonne omnes fideles filii ejus sunt?

Altera expositio est quorundam, qui hoc tempore vivunt: qui docent Dominum rogasse hoc loco pro perseverantia solius Petri in gratia Dei usque ad finem. At contra;

Primo, quia oravit Dominus paulo post pro perseverantia omnium Apostolorum immo etiam omnium electorum. Ioan. 17. "Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi." Non erat igitur ratio cur bis pro perseverantia Petri oraret.

Secundo, quia sine dubio hic Dominus aliquid speciale Petro impetravit, ut patet ex designatione certae personae; perseverantia autem in gratia est donum commune omnium electorum.

Tertio, quia certum est Dominum saltem mediate orasse hoc loco etiam pro aliis Apostolis. Nam ideo praemisit tanquam orationis causam: "Satan expetivit ut cribraret vos"; et postea subjunxit tanquam effectum: "Confirma fratres tuos". Non igitur pro sola Petri perseverantia Dominus rogavit, sed pro aliquo dono Petro communicando in aliorum utilitatem.

Quarto, donum hoc loco Petro impetratum, etiam ad successores pertinet. Nam Christus oravit pro Petro in utilitatem Ecclesiae: Ecclesia autem semper indiget aliquo, a quo confirmetur, cujus fides deficere non possit. Nec enim Diabolus petiit cribrare tantum eos, qui tunc erant fideles,

sed omnes omnino: at certe perseverantiae donum non pertinet ad omnes Petri successores. Denique non dixit Dominus, rogavi ut non deficiat caritas tua; sed fides tua. Et reipsa scimus defecisse Petri caritatem, et gratiam, quando negavit Dominum: fidem autem unquam defecisse, non scimus.

Est igitur Tertia expositio vera, quod Dominus duo privilegia Petro impetraverit. Unum, ut ipse non posset unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur a Diabolo; et quod est aliquid amplius, quam donum perseverantiae: dicitur enim perseverare usque in finem quem, qui licet interdum cadat, tamen resurgit; et in fine fidelis invenitur: at Petro Dominus impetravit, ut non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet.

Alterum privilegium est, ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem sive, ut in sede ejus nunquam inveniretur qui doceret contra veram fidem. Ex quibus privilegiis, primum fortasse non manavit ad posteros: at secundum sine dubio manavit ad posteros, sive successores.

De Primo privilegio habemus expressa veterum testimo-

nia. Augustinus libro de correptione et gratia cap. 8. 'Quando rogavit,' inquit, 'ut non deficeret fides ejus, rogavit ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem.' Chrysostomus homil. 83 in Matt. 'Non dixit,' inquit, 'negabis, sed ut non deficiat fides tua. Cura enim ipsius et favore factum est, ne omnino Petri fides evanesceret.' Theophylactus in cap. 22. Lucae: 'Quamvis,' inquit, 'brevi tempore concutiendus sis, habes recondita semina fidei, etiamsi folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivit, et non deficiet fides tua.' Ubi eleganti similitudine explicat, Petrum negando Christum amisisse confessionem fidei, quae ore fit, folia enim verba significant; fidem tamen qua corde creditur ad justitiam, non amisisse. Eodem modo exponit Prosper lib. 1. de vocatione gentium, c. ult. Caeterum vero Patres licet in his locis non meminerint alterius privilegii, tamen illud non negant, neque negare possunt, nisi velint plurimis aliis Patribus contradicere.

De Altero privilegio habemus testimonia veterum ac sanctorum Pontificum.

Leo sermo. 3. de assumptione sua ad Pontificatum: 'Specialis,' inquit, 'cura Petri

a Domino suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur; et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis caeteris conferatur.' Ubi Leo utrumque privilegium agnoscit, illud primum cum ait: 'Si mens Principis victa non fuerit.' Illud secundum, cum subjungit: 'Firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum caeteris conferatur.' Non enim confertur aliis firmitas, nisi veram fidem exponendo.

Agatho Papa in Epist. ad Constantinum Imperatorem, quae lecta est in VI. Synodo, act. 4. et postea act. 8. ab omnibus probata: 'Haec est,' inquit, 'vera fidei regula, quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei gratiam a tramite Apostolicae traditionis nunquam errasse probatur, nec haereticis novitatibus unquam depravata succubuit, quia dictum est Petro, Simon, Simon, ecce Satanas etc. Ego autem rogavi pro te, etc. hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fra-

tres suos admonuit, quod Apostolico Pontificus meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnitum.'

Nicolaus I. in Epist. ad Michaelem. 'Privilegia', inquit, 'istius sedis perpetua sunt, divinitus radicata, atque plantata, impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt. Quae ante imperium vestrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, et quousque Christianum nomen praedicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt.' Et infra, ostendens unde tam illius ejusmodi praedicaret, ait: 'Nam et inter caetera is, per quem nobis praecipue ista sunt privilegia collata, Tu aliquando conversus, audivit a Domino, confirma fratres tuos.'

Leo IX. in Epist. ad Petrum Antiochenum: 'Nimirum', inquit, 'solus est, pro quo ne deficeret fides ejus, Dominus et Salvator asseruit se rogasse, dicens, Rogavi pro te, etc. Quae venerabilis, et efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius.'

Innocentius III. in Epist. ad Epis

copum s. Lateranensem, et habetur capit. Majores, extra, de Baptismo, et ejus effectu: 'Majores' inquit, 'Ecclesiae causas, praesertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.' His Pontificibus videtur omnino credendum, tum quod sancti fuerint, tum quod sine dubio ipsis praecipue debeat esse nota suae sedis auctoritas.

Praeter hos Pontifices non desunt etiam alii auctores, qui eodem modo exponunt. Theophilactus in caput 21. Lucae aperte docet, dari Petro hoc privilegium, quia ipse futurus erat princeps, et caput aliorum, ac proinde dari omnibus aliis, qui illi in principatu succederent: 'Quia te habeo,' inquit, 'principem discipulorum, confirma caeteros. Hoc enim decet te, qui post me Ecclesiae petra es et fundamentum.'

Petrus Chrysologus in Epist. ad Eutychetem, quae habetur in primo tomo Conciliorum, ante Concilium Chalcedonense: 'Hortamur te,' inquit, 'frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas,

quia B. Petrus, qui in propria sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.' Quamvis enim hic auctor non citet locum Evangelii: 'Rogavi pro te, etc.', tamen eo sine dubio respicit, dum tam fidenter affirmat, ex Romana sede praestari omnibus quaerentibus fidei veritatem.

Bernardus in ep. 190 ad Innocentium: 'Oportet', inquit, 'ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque, et scandala regni Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando, Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?

— Objiciunt contra hanc expositionem —

Primo, quia Romana Ecclesia non erat, quando Christus promisit Petro non defectionem fidem ejus, neque Dominus ullam Romanae sedis mentionem facit. Quomodo ergo potest colligi, Dominum promisisse aliquid Romanae sedi, cum ait: Ego rogavi pro te, etc.

Secundo, quia si quod dicitur Petro, Rogavi pro te, etc., dicitur successoribus,

ergo debent omnes Petri successores Christum aliquando negare, et postea converti.

Respondeo ad primum, Christum dici rogasse pro Romana sede, quia rogavit pro Petro et successoribus, quorum sedes Romae stabilienda erat.

Ad secundum dico, Primo, non esse absurdum, si dicamus, illud: "conversus" non referri ad poenitentiam Petri, sed ad tentationes aliorum, ut non sit sensus: Tu a peccato ad poenitentiam conversus, confirma fratres, sed tu, cujus fides non potest deficere, quando videris aliquos nutantes, et vacillantes, ad eos conversus illos confirma; nam nondum praedixerat Petro casum suum, sed paulo post praedicturus erat: videtur autem absurdum, si prius praedicatur conversio, quam aversio, resurrectio, quam casus. Dico Secundo; si exponamus, conversus a negatione, non necessario convenire successoribus Petri, converti a peccato negandi, cum necessario tamen conveniat eis, confirmare fratres. Nam converti a peccato non convenit hominibus, nisi quatenus privatae personae sunt, et ideo personale

donum est: at confirmare fratres, convenit homini, ut caput est, et principi aliorum, et ideo transit ad successores.

Prob 3°.

Sumitur haec probatio ex Joannis 21. ubi legimus dictum esse Petro, 'Pasce agnos meos' (ἀρνία), 'pasce agnos meos' (προβάτια), 'pasce oves meas' (πρόβατα). Qui locus et exponitur (apud Bellarmin. de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 16) ab Epiphanio, Ambrosio, Leone, Gregorio M., Theophylacto, Bernardo, de potestate quae data sit Petro pascendi totum gregem Dominicum, ne Apostolis quidem exceptis, et sufficienter explicatur ex perpetuo exercitio potestatis universalis, quam Petri Successoribus tota Christiana antiquitas attribuit, nec ipsi Gallicani diffitentur. Nam in Sermone de Unitate habito in ipso Conventu Gallicano anni 1682. illustrissimus Bossuet, hunc Evangelii locum his verbis explicat:

"C'est a Pierre qu'il est ordonné premièrement d'aimer plus que tous les autres Apôtres, et ensuite de paître et gouverner tout, et les agneaux et les brebis, et les petits et les mères, et les pasteurs même: pasteurs à l'égard des peuples, et brebis à l'égard de Pierre."

Unde requiritur 1° in ordine potesta-

tis Pastoralis omnes, etiam Episcopos, esse ad Petrum ut oves ad Pastorem a Christo constitutum. Sequitur

2° ut Episcopi sint oves relate ad Petrum, sive adunati sint in Concilio, sive dispersi per orbem, quia localis adunatio aut dispersio nec legem Christi, nec proinde Petri potestatem tollit, aut modificat. Sequitur

3° Nunquam occurrere posse casum, in quo Ovium sit Pastorem pascere, ad officium Pastoris, ad rectae doctrinae professionem revocare: quia secus institutio Christi ab hominibus mutaretur. Sequitur

4° Sicut fieri nequit ut grex Christi vel ad unam diem aut momentum intereat, ita neque fieri posse ut desint Episcopi qui Petro obedientiam praestent ut Oves Pastori, quia Episcopatus tam erit in Ecclesia perpetuus, quam ipsa Ecclesia, quam ipse Grex. Sequitur

5° Episcopos qui Petro non obedirent ut Pastori Oves, non esse de Grege Christi, non censeri inter Oves quas Christus designat, quum ait Oves meas: quotquot enim Christi sunt, eaedem et Petri sunt. Meas enim dicit omnes quae Christi sunt, nisi limitatio adjungatur, quae quidem adjuncta non est. Non agunt autem ut oves Petri, qui Pastori Petro non obediunt;

non agunt ergo ut Christi oves, quicunque arrogant sibi potestatem supra Petrum. Ergo

6° Nec in Concilio, nec extra Concilium; nec distributive nec collective habent Episcopi unquam potestatem supra Petrum: quia cessarent agere ut oves Christi, si eam sibi arrogarent.

Ut jam conclusionem nostram deducamus e praemissis, dicimus sequi e Prob. 3°.

a) Supremam, adeoque talem, ultra quam ascendi non possit, auctoritatem pascendi Oves Christi pabulo doctrinae Christianae Petro datam esse. Ergo si ministerium Petri, ut Prop. 13° ostensum fuit, perpetuum est, adeoque ad Successores transiturum successione indeficiente, hanc auctoritatem Petrus in Successoribus suis, semper retinebit.

Atqui suprema Pastoris auctoritas, connotat in omnibus Ovibus obligationem ea pascua acceptandi, quae Pastor Ovibus suis dederit.

Ergo quaecunque in fidei doctrina pascua Petrus Ovibus dederit, ea tenentur Oves omnes acceptare.

At vero nulla est obligatio acceptandi doctrinam ullam ut doctrinam quae divina fide credi debeat, nisi is qui eam proponit,

divinus Legatus sit qui doctrinam aut ut divinus Testis Traditionis, aut ut divinus Judex Controversiarum proponat. Ergo, si omnes Oves Christi tenentur acceptare doctrinam a Petro propositam ut doctrinam fidei divinae, manifestum est debere doctrinam ejus considerari ut doctrinam Legati divini, adeoque ut infallibiliter veram, sive loquatur ut Testis scil. ut proponens aliquid tanquam explicite in Revelatione contentum, sive loquatur ut Judex, scil. ut proponens aliquid tanquam implicite in Revelatione contentum.

Non eludent hoc argumentum ii qui cum Gersone dicunt, definitionem dogmaticam Pontificis nihil plus a nobis exigere, quam ut non dogmatizemus contra eam. Nam per definitionem suam exigit Petrus determinati cujuspiam articuli professionem aut condemnationem. Ergo si ulla omnino sit, quam Gallicani concedunt, hujus definitionis auctoritas, in omnes id praestare quod haec definitio praestari jubet. Jubet autem fieri professionem aut jubet fieri condemnationem hujus illiusve determinati articuli; ergo facienda est haec professio vel pronuntianda est haec condemnatio.

Non jubet autem Christus, non jubet Petrus ut fiat mendax professio, aut mendax condemnatio. Ergo definitio Pontificia exigit professionem veracem, condemnationem veracem, adeoque internum etiam assensum.

Accedat jam dictis Constitutio Vineam Domini edita a Clemente XI., cui non reclamarunt aut Gallicani Episcopi, nisi quatuor nec ulli aliarum regionum Episcopi, et quae consequenter, juxta ipsos Gallicanos, vim legis dogmaticae habet.

"Ut quaevis imposterum erroris occasio praecidatur, atque omnes Catholicae Ecclesiae filii, Ecclesiam ipsam audire non tacendo solum, nam et Impii in tenebris conticescunt, sed et interius obsequendo, quae vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, Obedientiae, quae praeinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri; sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Janseniani libri sensum quem, illarum verba praeseferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut haereticum, non ore solum sed et corde rejici ac damnari debere nec alia mente, animo aut credulitate

supradictae formulae (infra citandae) subscribi licite posse, ita ut, qui secus aut contra quod haec omnia et singula senserint, tenuerint, praedicaverint, verbo vel scripto docuerint aut asseruerint, tanquam praefatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus et singulis illarum censuris et poenis omnino subjaceant, eadem auctoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus et ordinamus."

Formula autem de qua Pontifex loquitur, et cujus latinum textum non habeo, gallice ita sonat: "Je N. soussigné me soumets à la Constitution d'Innocent X. Souverain Pontife, du 31 jour de Mai 1653. et à celle d'Alexandre VII. son successeur, du 16. Octobre 1656. et rejette et condamne sincèrement les cinq Propositions extraites du livre de Cornelius Jansenius intitulé Augustinus, dans le propre sens du même Auteur, comme le Saint Siège les a condamnées par les mêmes Constitutions. Je le jure ainsi. Ainsi Dieu me soit en aide, et les Saints Evangiles."

b) Sequitur ex Corollariis Probationis 3ae omnes Episcopos Catho...

licos semper quidem adhaesuros Pastori totius Ecclesiae, sed eorum adhaesionem non esse id quod Decretis Pastoris universalis impertit vim obligatoriam, id est, non requiritur haec adhaesio sive ad constituendam adaequatam potestatem condendi decreta fidei obligantia omnes fideles, nec requiritur ut conditio necessaria promulgationis sufficientis.

Non requiritur ad Potestatem condendi valida fidei Decreta: quia Episcoporum adhaesio est actus obedientiae non minus quam Judicii: Obedientia autem supponit obligationem obediendi praeexistentem actui obedientiae.

Non requiritur ad sufficientem promulgationem Decreti obligantis: quia Obedientia Pastorum, si stulta non sit, jam praesupponit sufficientem promulgationem Decreti cui obediunt.

Ergo, quia Decretum de fide non est obligatorium nisi quatenus et quia Infallibile est, non requiritur ad Infallibilitatem Decreti aut in se aut quoad sufficientem ejus notitiam, adhaesio Episcoporum.
Vide hoc loco quomodo ex persona Gallicanorum Dogmaticus Tournely

c) Itaque Episcoporum in Concilio aut extra Concilium consensus cum Successore Petri est quidem *signum* existentiae Decreti Obligantis adeoque Infallibilis, sed nec est ipsa Infallibilitatis seu *causa*, seu *conditio necessaria*.

d) Ergo male definiunt Gallicani in quo consistat tacitus consensus Episcoporum, quum docent eum consistere in eo quod Episcopi contra Decretum Pontificium non reclamant, quum tamen *possunt* ac *deberent* reclamare, si a Pontificis judicio dissiderent. Qui enim *obedire debent*, quomodo *possunt reclamare*, et qui non possunt reclamare, quomodo *debent*?

e) Ergo consensus tacitus Episcoporum cognoscitur ex eorum obedientia qua Decretum Pontificium acceptant, ovibus suis communicant et servandum curant: quae obedientia simul est actus Judicis, non *quidem* profitentis se posse legem admittere aut rejicere, sed Judicis decernentis cum potestate coactiva et legem esse authenticam,

et verbo Dei conformem esse, et proinde servandam esse, et cum eadem potestate applicantis legem et sanctionem ejus transgressoribus quibuscunque.

Probatio 4ª

Sumitur hæc probatio e Matth. 28. Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. (Vide hujus loci explicationem in Proœmio Operis D. Muzzarelli, de Auctor. Rom. Pontif.).

Quum Christus Apostolos his verbis alloquutus est, aderat inter eos Petrus, ille nimirum Apostolus, quem Christus jam antea constituerat fundamentum Ecclesiæ perpetuæ, cui soli dederat claves regni Cœlorum, cui munus dederat fratres suos in fide confirmandi. Ergo, si Christus, ut jam Prop. 12. probatum est, promisit his verbis omnibus Apostolis eorumque successoribus efficacem assistentiam ad præstandum id omne ad quod præstandum mittebantur, iisdem his verbis promisit etiam Christus

1°) Fore se omnibus diebus cum Petro ut claves sibi datas et retineat et ad bonum Ecclesiæ adhibeat.

2°) Fore se omnibus diebus cum Petro ut fratres, id est, membra Collegii Apostolici in fide confirmet: ac vicissim fore se cum membris Collegii Apostolici, ut effi-

caciter quærant apud Petrum, aut acceptent oblatam a Petro, firmitatem in fide. Proinde
3°) Fore se omnibus diebus cum Petro ut Ecclesiæ fundamento quoad professionem fidei, ut omnes oves, totum omnino gregem stabiliat in fide, adeoque primo ac præcipue ovium omnium Pastores omnes. Et vicissim erit Christus omnibus diebus cum fidelibus omnibus atque Pastoribus, ut fidei suæ fundamentum nunquam deserant, ac docenti Petro semper adhæreant. Ergo
4°) Vi promissionis hujus divinæ, nunquam accidere potest ut docenti Petro Episcopi Catholici, sive in Concilio, sive extra Concilium, non consentiant.
5°) Vi divinæ hujus promissionis nunquam accidere potest ut docenti Petro non adhæreat Ecclesia universa.

Jam vero, fatentibus etiam Gallicanis, infallibilis est decisio dogmatica edita a Corpore Pastorum, id est, a Petro simul cum cæteris Episcopis. Ergo quum ex Corollario 4° omnis dogmatica decisio edita a Petro semper sit habitura omnes Episcopos Catholicos, qui quidem manere Catholici, sequitur, omnem dogmaticam decisionem Pontificis infallibilem esse.

Sic etiam, fatentibus Gallicanis, infallibilis est ea professio fidei, quam facit universa Ecclesia. Ergo, quum ex Corol. 5° Ecclesia

universa semper adhœsura sit dogmaticæ definitioni editæ a Pastore suo universali, sequitur, omnem definitionem dogmaticam Pontificis infallibilem esse.

Objectiones.

Objectiones contra quatuor argumenta deducta e Scripturis, examinabimus legendo objectiones consignatas in Tournely. Ideo autem non inserimus eas huic Tractatui quia ex antedictis facillime responsio suppetit.

Probatio e Traditione.

Etiam hic compendio uti oportet. Omnes enim auctoritates seu Conciliorum seu Patrum respiciunt unum quodpiam earum quatuor Principiorum quæ in Scripturis invenimus: ut proinde nihil aliud nunc præstandum sit quam ut singula Patrum et Conciliorum testimonia quæ in Prop. 16ª adduximus adhibeantur pro Majori, et correspondens in una e quatuor memoratis Probationibus principium adhibeatur Syllogismi Propositione Minori.

Videbimus autem simul quomodo testimonia Traditionis interpretati sint Gallicani

§. 3.

Annotationes in quatuor articulos Declaratione editos in Conventus Gallicani, anni 1682.

I. Primum: beato Petro ejusque successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiæ rerum spiritualium et ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam potestatem dicente Domino, Regnum meum non est de hoc mundo, (Joan. 18. 36) et iterum, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo; (Luc. 20. 25.) ac proinde stare Apostolicum illud: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. (Rom. 13. 1. 2.) Reges ergo et Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ, directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ quam Imperio utilem, ut, verbo Dei, Patrum traditioni et Sanctorum exemplis consonam

omnino retinendam.

II. Sic autem inesse Apostolicae Sedi ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant Sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae Sessione quarta et quinta continentur; nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

III. Hinc Apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos; valere etiam regulas, mores et instituta a Regno et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut Statuta et consuetudines tantae Sedis et Ecclesiarum consensione firmata propriam stabilitatem obtineant.

IV. In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Eccl^{ae} consensus accesserit.

Ante annotationes in singulos articulos hujus Declarationis, advertendum est:

1°) Conventum Gallicanum non fuisse Concilium Ecclesiasticum Provinciale aut Nationale, sed coetum Episcoporum convocatorum a Ludovico XIV.

2°) Episcopos hujus coetus selectos fuisse a D^no^ Colbert Ministro Ludovici XIV^i^, ex omnibus iis qui in negotio Regaliæ maxime ignaros sese exhibuerant, quosque exacerbaverat contra sedem Apostolicam publica et gravissima reprehensio qua Summus Pontifex incusaverat eos turpis prævaricationis et ignariæ erga manifestam tyrannidem laicæ potestatis.

3°) Injunctum fuisse istis Episcopis ut limites Pontificiæ potestatis quasi cum auctoritate designarent.

Jam omisso Articulo primo de quo vetamur in Instituto nostro quidquam docere, et de quo videri possunt Bellarminus, Muzzarelli, Marchetti, De Maistre, etc, ponamus

Annotationes in Articulum 2^m^.

"Sic autem inesse Apostolicæ Sedi ac Petri « successoribus, Christi Vicariis rerum spi« ritualium plenam potestatem, ut simul « valeant atque immota consistant Sanc« tæ Œcumenicæ Synodi Constantiensis a

"Sede Apostolica comprobata ...... Decreta
"de auctoritate Conciliorum generalium,
"quæ sessione quarta et quinta continentur."

Hoec assertio resolvitur in duas: unam conditionalem, de quæstione Juris: Scil. Si qua sint Constantiensia Decreta a Sede Apostolica comprobata, ea valent et immota consistunt;

Altera absoluta, et de quæstione facti, Scil: Sedes Apostolica comprobavit Decreta Constantiensia Sessionis quartæ et quintæ.

Propositio conditionalis tam vera est, ut propemodum inepta sit: quis enim in Ecclesia dubitavit unquam, utrum valida sint comprobata a Sede Apostolica Decreta Synodi, ut quidem hic supponitur, Oecumenicæ?

Propositio autem absoluta, de quæstione facti, nondum est a Gallicanis historice probata: quin imo probavimus in Prop. 16ª Concilium Constantiense in Sess. 4ª et 5ª, nec voluisse, nec potuisse condere novos istos articulos fidei, qui hic nobis a Gallicanis obtruduntur, quatenus quidem extenduntur ab eis ad Pontificem non dubium.

Dicitur: Oecumenicæ Synodi Constant.æ sed multum abest ut potuerit Synodus ista dici Oecumenica in Sess. 4ª et 5ª, uti ostensum est in Prop. 16.

Et confirmatur quod ibi dictum est, tu-

bus rationibus.

2) Testimonio Petri de Alliaco, Doctoris Paris. et Cardinalis: "Licet Concilium Pisanum fuerit legitimum ac canonice celebratum, et duo olim contendentes de "Papatu, juste et legitime condemnati, et "electio Alexandri V. fuerit rite et canonice "facta, prout haec omnia tenet Obedientia D. N. Papae Joannis XXIII: tamen duae "Obedientiae duorum contendentium probabiliter tenent contrarium: in qua opinionum varietate, non sunt minores difficultates facti et Juris, quam ante Concilium Pisanum erant, de justitia duorum "contendentium." Ergo auctoritas Obedientiae Joannis XXIII non erat certa, sed solum probabilis, quia solummodo probabile erat, eam vero Papae adhaerere, et consequenter auctoritas Decretorum ejus, ante adjunctas ceteras obedientias, non erat nisi probabilis; ut cui poterant aliae duae Obedientiae cum probabilitate Juris contradicere, ac de facto contradixerunt, per continuatam adhuc separationem a Concilio Constantiensi.

Confirmamus idem testimonio ipsius Gersonis, Gallicanorum Doctorum principis, quum ostendit tempore hujus Schismatis nullam e diversis Obedientiis fuisse aut esse formaliter Schismaticam. Ait enim:

"ista valde fundata in hoc quod nunquam fuit tam rationabilis et vehemens causa dubitationis in aliquo schismate sicut in isto: cujus signum evidens est varietas opinionum doctorum, et inter doctissimos et probatissimos ex utraque parte." Ergo absque schismate contradicebat una obedientia Decretis alterius obedientiae. Ergo nullius obedientiae Decreta erant Decreta certa, peremptoria, irreformabilia, sed erant e contrario talia, ut maneret adhuc omnino Catholicus qui eis contradiceret.

b) Ipsum concilium constantiense agnoscit deesse sibi plenam auctoritatem. Nam post Decreta illa sess: 4ae et 5ae suscipit Legatum Gregorii XII. recipit Bullam qua Gregorius declarat se non agnoscere concilium istud pro Oecumenico, prohibet ne Joannes XXIII. concilio praesideat, et novam facit concilii convocationem, similiter gerit se concilium erga Benedictum XIII. Nec juvat dicere, concilium amore pacis sic egisse. Hoc enim etsi verum sit, non efficit ut potuerit concilium sic agere, si auctoritas ejus dubia non fuisset. Concilium enim de auctoritate sua certum, non potest recipere in sinum suum eos qui negant auctoritatem ejus. — sed dicunt, auctoritatem quae in sess. 4. et 5. dubia erat evasisse certam quando Martinus Papa indubitatus et concilium vere Oecumenicum fecit.

At c) neque hoc Gallicanos juvat: tum

quia Papa non approbavit nisi id quod in materia fidei contra Wicleff, Huss et Hieron. de Praga conciliariter factum est, nihil autem fit conciliariter in materia fidei a laicis iisve qui Episcopi non sunt; tum quia notorium est Theologos Catholicos, exceptis quibusdam Gallicanis, non agnoscere ulla fidei Decreta concilii constantiensis praeter illa quae in citata Martini approbatione continentur, et spectant doctrinam trium illorum haereticorum.

Denique quod adjungitur

"ac totius Ecclesiae usu, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita Decreta etc."

nulla prorsus nititur auctoritate historica, adeoque gratis assertum gratis negatur.

Propositio ad quam stabiliendam Articulus iste collimat, his verbis concipi potest:

In concilio Oecumenico legitime convocato, consentientium Episcoporum sive omnium seu plerorumque auctoritas major est auctoritate Romani Pontificis, quamvis sede dubio legitimi.

Quae Propositio et probari nequit, et facile refutatur. Probari nequit. Nam

1°/ Non potest dici Episcoporum superiorem esse Potestatem eo quod ipsi constituant concilium Oecumenicum legitimum, seorsim, id est, secluso Papa, dissentiente Papa:

quia nec ipsi Gallicani hoc admitterent, teste ipso Bossuet in Gallia Orthod. ubi ait. Quod attinet ad

Synodos habitas secluso Romano Pontifice Parisienses ultro fatentur ex antiquissimis regulis absque Romano Pontifice irritas esse ac nullas; perinde autem est an excludatur Pontifex, id est an nolit ipse concurrat sive ad convocationem sive ad celebrationem, sive ad confirmationem Synodi, quia Synodus in tribus his casibus non esset collegium Apostolicum, sed corpus acephalum; hoc autem Corpori nullae factae sunt a Chr° promissiones. quae etiam causa est cur nec Ariminense, nec Basileense postquam ab Eugenio IV dissolutum fuit, audeant ipsi Gallicani inter Oecumenica numerare.

2° Nullam adduxerunt nec possunt adducere definitionem aut doctrinam Ecclesiae, quae Propositionem illam stabiliant, exceptis Decretis Constantiensibus, sed ipse horum Decretorum sensus et auctoritas objectum est praesentis controversiae. Ergo nisi sumant pro non controverso illud ipsum quod controversum est, nihil omnino concludunt; aut male concludunt.

Deinde nullo negotio refutatur Propositio:

1°/ Quia Papa (Prop. 16. et 13.) est centrum necessarium Ecclesiasticae Unitatis, in docendo, ministrando regendo. Ergo Episcopi qui docerent contra sententiam Illius qui est pro tempore Papa, eo ipso divellerentur ab Unitate Catholica et jam non essent in Ecclesia.

2°/ Quia, fatente ipso quoque Bossuet in loco jam laudato, Episcopi omnes sunt ad Petrum,

ut oves ad Pastorem, uti supra in Prob. 3ª. Ergo quamdiu nulla erit Ovium in Pastorem auctoritas, quamdiu non erit Ovium Pastorem docere, regere, judicare, compellere, tamdiu falsa erit supradicta Propositio.

3º Quia, juxta Evangelium, Petri est confirmare fratres: juxta hanc vero Gallicanam Propositionem, fratrum esset Petrum confirmare, et si docilis non sit, condemnare, punire, deponere Petrum.

4º Quia haec Propositio nullius omnino est possibilis applicationis, nisi ponatur posse fieri, stantibus promissionibus Christi, ut omnes aut plerique Episcopi, dum sunt manentque Catholici, a Petro dissideant: hunc autem casum nunquam accidere posse, abunde jam probatum est, tum in antecedentis Paragraphi Probatione 4ª., tum in partis 2ae Prop. 8ª., et Prop. 16ª. — Christus autem non contulit Episcopis sive adunatis, sive dispersis, potestatem, quae nunquam applicari poterit, nisi quum defecerit veritas promissionum Christi. —

5º Testimoniis Traditionis adductis in Prop. 16ª, adde, si lubet, etiam ista.

S. Gelasius Papa, jam saeculo 5º in Commonitorio ad Faustum, fungentem Legationis Officio Constantinopoli "Nobis opponunt Canones, inquit, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primae sedi, sana rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiae, ad hujus sedis examen voluere deferri. Ab ipsa

vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt."

Epist. 13a ad Episcopos Dardaniae: "Non reticemus autem quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, sedes Beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus."

Addendus videtur locus e Bulla Execrabilis edita a Pio II. anno 1459. contra appellationes ad concilium generale:

"Execrabilis et pristinis temporibus inauditus, tempestate nostra inolevit abusus, ut a Romano Pontifice, Jesu Christi Vicario, cui dictum est in Persona Petri, Pasce oves meas. et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate judicii, sed commissi evasione peccati, ad futurum concilium provocare praesumant . . . Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi Ecclesia procul pellere, et ovium nobis commissarum saluti consulere, omnemque materiam scandali ab

ovili nostri Salvatoris arcere, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, cunctorumque Praelatorum (Synodi Mantuanae), ac divini et humani Juris interpretum Curiam sequentium consilio et assensu, et certa nostra scientia, hujusmodi provocationes damnamus, et tanquam erroneas ac detestabiles reprobamus."
Confirmata est haec Bulla a Sixto IV. et Julio II. et ejus sententia posita in Bulla Coenae, Art. 2.

Jam vero si Episcopi superiores sunt Pontifice in concilio, sunt eo ipso etiam superiores Pontifice extra concilium: nam sicuti sentientes cum Papa non majorem habent in concilio, quam extra concilium auctoritatem, ut et ipsi Gallicani fatentur: ita dissentientes a Papa non majorem haberent in concilio quam extra concilium auctoritatem. Non concesserunt autem adhuc Galliani appellationem ad Episcopos Dispersos in suis quosque Dioecesibus; ergo neque concedere possunt appellationem a Papa ad Episcopos in concilio adunatos sive dum adhuc adunati sunt, sive quum concilium nondum convocatum sit.

Negabunt forte paritatem, eo quod recursus ad Episcopos dispersos sit moraliter ut physice impossibilis; possibilis vero sit ad Episcopos actu congregatos. Sed nil hoc eos juvat. Nam Primo concludimus: ergo Episcopis dispersis non contulit Christus

auctoritatem superiorem auctoritate Pontificis, quia non contulit Christus auctoritatem inutilem, quippe ad quam recursus non patet, et tamen patere deberet, si auctoritas suprema collata eis fuisset, quum Ecclesiastica societas non magis quam illa alia subsistere possit absque recursu ad auctoritatem supremam, quae sola dat Societati Unitatem et actualitatem.

Concludimus secundo: ergo Episcopis adunatis seorsim a Papa dissentiente, nulla competit auctoritas in Ecclesiam; tum quia non major eis competit auctoritas quam Episcopis dispersis: tum quia in hoc casu non constituunt concilium Celebratione et Confirmatione legitimum; nullus autem alius est Titulus, quo Episcopi habeant potestatem in Ecclesiam Universalem, ne in Gallicana quidem theoria. Ergo Propositio Gallicana falsa est de concilio praesente, non minus quam de futuro.

Dicet forte quispiam: ideo solum reprobatam fuisse appellationem ad futurum concilium, quia nunquam potest quispiam obligare aut cogere Papam ad convocandum concilium; adeoque appellationem illusoriam esse.

Respondemus, esse praeter hanc, etiam aliam rationem, scil. quia concilium etiamsi convocaretur, non esset laturum valide nisi sententiam illam quae cum

Papae sententia congruat. Et haec ultra alia deducitur e priori. Si enim ideo solus Papa convocare potest concilium generale, quia solus ipse auctoritatem habet in omnes Episcopos, et haec auctoritas sit de Jure divino; sequitur ut etiam adunatis omnibus Episcopis maneat Papa Superior et consequenter ut sententia ejus obliget omnes Episcopos, non minus quam ipsum appellantem.

Accedit sententia Synodi Palmaris, quae anno 502 Romae celebrata fuit, jubente Theodorico Rege, et annuente Symmacho Papa, ad cognoscendum de criminationibus Schismaticorum adversus Symmachum. Declarant Episcopi non posse Synodum istam celebrari, nisi convocata fuerit a Symmacho Papa". Memorati Pontifices quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare; scientes quia ejus Sedis primum Petri Apostoli est meritum, vel principatus: deinde sequuta jussione Domini conciliorum convocandorum auctoritas ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem: nec antedictae Sedis antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili, facile forma aliqua testaretur. Sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit."

Anno 800 venit Carolus M. Romam "ut cognosceret de criminibus quibus adversa Leoni Papae factio ipsum impetiverat." "Fecit Carolus M. in eadem Ecclesia (S. Petri) congregare Archiepiscopos et Episcopos, Abbates et omnes Nobiles Francorum atque Inclytos Romanorum, et sedentes pariter tam magnus Rex quam Beatissimus Pontifex fecerunt residere sanctissimos Archiepiscopos, Episcopos et Abbates, stantibus reliquis Sacerdotibus et Optimatibus Francorum et Romanorum, ut crimina quae adversus almum Pontificem dicta fuerant, examinarent. Tunc universi Archiepiscopi, Episcopi et Abbates unanimiter audientes dixerunt: Nos Sedem Apostolicam, quae est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes et Vicario suo judicamur, ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquus mos fuit: sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, jubeat, canonice obediemus. At Venerabilis vero Leo Praesul inquit: Praedecessorum Pontificum vestigia sequor, et de talibus falsis criminationibus quae super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum."

Sequitur formula purgationis: "Ego Leo Pontifex S. R. E. a nemine judicatus, neque coactus, sed mea voluntate impulsus, purgo me, etc."

Accedat denique Thomassinus, dissert. in conc. "Non auferri sed differri ac peccanie Pontifica

judicium. An ad oecumenicam usque Synodum? Imo ad divinum usque examen. Aeque oecumenica Synodus a Pontifice convocanda et confirmanda est; quare nec in Ipsum nisi ab Ipso impartitam distringet auctoritatem . . . . Aeque oecumenica Synodus membrorum collectio est, etsi longe plurium, quorum non est de suo vertice judicare . . . Aeque oecumenica Synodus ovile et grex est, etsi numerosior; nec gregis est de Pastore judicare, sed Judicis. Nihilo secius in generali ac in particulari Synodo ab inferioribus eminentior judicabitur . . . . Aeque in oecumenico Synodo frustra Princeps in jus vocabitur, quod ipse dederit nec legi suae nisi lubens subjicitur. Aeque in oecumenica Synodo, si primae Sedis vanescant privilegia caeterarum praerogativae Sedium, quae ab Illa proficiscuntur et conservantur, pariter evanescent. Denique, si divini juris est quod, quum caeterorum hominum causae per homines terminantur, Sedis istius (Apostolicae) Praesulem Deus suo sine quaestione reservavit judicio, adversus divini juris sanctionem nec oecumenica Synodus dimicabit."

Annotationes in Art. 3.

Articulus 3us deducitur a 2° ut consequens ex antecedente. Quum ergo in 2° Art. asseruerint Episcopi gallicani Episcoporum superioritatem supra Pontificem in concilio oecu-

menico, sensus Articuli 3^ii non alius est quam posse Pontificem cogi ab Episcopis ut novas leges seu canones antiquis non substituat, posse cogi ad non mutandas consuetudines Ecclesiae Gallicanae. Imo nec ipsum casum necessitatis aut majoris utilitatis excipiunt. Est ergo hic articulus Primatui Papae et institutae a Christo hierarchiae aeque contrarius ac articulus 2us.

Juxta hoc principium Polycrates Ephesinus cum suis quartodecimanis non debuisset a Victore Papa urgeri ad dimittendam consuetudinem Asianae Ecclesiae. Nullum enim adhuc fuerat hac de re Concilium generale. Et tamen hanc in Victore potestatem Irenaeus agnovit, et consuetudinem Asianam omnes aliae per orbem Ecclesiae reprobabant. Vide Prop. 16.^am

Juxta idem principium poterat Cyprianus licite persistere in consuetudine baptizandi baptizatos ab haereticis, quamvis Stephanus Papa morem istum reprobaret ac vetaret. Nondum enim celebratum fuerat Arelatense ac Nicaenum concilium. Adducit quidem Augustinus hoc ipsum ad culpam Cypriani minuendam, ut qui erraret in quaestione adhuc

obscura, sed omnem a Cypriano culpam non amolitur: ait enim lib. 5. de Bapt. cap. 25. "Jam illa quae Cyprianus in Stephanum iratus, effudit, retractare nolo, quia nec opus est eadem quippe ipsa dicuntur quae jam discussa sunt: et ea praeterire melius est, quae periculum perniciosae dissensionis habuerunt. Stephanus autem etiam abstinendos putaverat qui de suscipiendis haereticis priscam consuetudinem convellere conarentur: iste autem (Cyprianus) quaestionis difficultate permotus, et sanctis charitatis visceribus largissime praeditus, in unitate cum eis manendum qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius, sed tamen fraterna indignaretur: vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.

Ex hoc igitur articulo 3° sequeretur etiam facultas appellandi a Papa ad futurum Concilium generale. Semper enim licet appellare a tribunali inferiori ad superius.

Ergo huic articulo 3° contradicit ipse Bossuetus, quum in Defens. Declar. part. 2. lib. 11. cap. 20. ait: "Concedimus in jure quidem Ecclesiastico, Papam nihil non posse, quum necessitas id postulaverit."

Videndum jam est quid sint regulae mores et instituta a Regno et Ecclesia Gallicana recepta, quae dicuntur in hoc Articulo 3° inconcussa manere debere, et quae gallice vocamus les libertés de l'Eglise Gallicane.

Primo, juxta tenorem hujus Articuli, Libertates istae sunt statuta et consuetudines Apostolicae Sedis consensione firmatae. Adeoque decernitur Papam non debere dissentire quamdiu consentit!!

Secundo, in Sermone de Unitate de his Libertatibus Bossuetius sic loquitur: "Ne demandez plus ce que c'est que les libertés de l'Eglise Gallicane: les voilà toutes dans ces précieuses paroles de l'Ordonnance de Saint Louis. Nous n'en voulons jamais connaître d'autres. Nous mettons notre liberté à être sujets aux Canons, et plût à Dieu que l'exécution en fut aussi effective dans la pratique, que cette profession est magnifique dans nos livres! Quoiqu'il en soit, c'est notre loi. Nous faisons consister notre liberté à marcher autant qu'il se peut dans le Droit commun, qui est le principe ou plutôt le fond de tout

le bon ordre de l'Eglise, sous la puissance canonique des Ordinaires, selon les Conciles généraux et les institutions des Saints Pères; état bien différent de celui où la dureté de nos coeurs, plutôt que l'indulgence des souverains dispensateurs, nous a jetés; où les privilèges accablent les lois, où les grâces semblent vouloir prendre la place du droit commun, tant elles se multiplient; où tant de règles ne subsistent plus que dans la formalité qu'il faut observer d'en demander la dispense; et plût à Dieu que ces formules conservassent du moins avec le souvenir des Canons, l'espérance de les rétablir! C'est l'intention du Saint-Siège, c'en est l'esprit, il est certain."

Invenimus egregium virum qui quum juberetur dicere aliquid, nec posset dicere quidquam, merito nihil dixit. Convocatus fuerat a Rege coetus hic Episcoporum ut sanciret libertates quas ipse Rex erga Papam et Episcopos sibi arrogabat. In servilitate autem Episcoporum quos Rex ad hunc coetum delegerat necnon in eorum ira contra Pontificem qui abjectam eorum ignaviam increpaverat, cernebat Bossuetius periculum schismatis non

exiguum, si pronos jam ad ruinam ipse verbis suis impelleret. Itaque omissis libertatibus Ludovici XIV. loquitur de Libertatibus quae nihil sunt aliud quam observatio legum Ecclesiae!!

Sed existebant longe aliae libertates, illae scil. quas Pithou enumeravit et Dupuis defendit et faventia Calvino ac Jansenio Parlamenta ad restringendam Episcoporum jurisdictionem adhibebant; existebant et libertates regales quas ad vexandam Sedem Apostolicam Philippus Pulcher sibi arrogaverat, et successoribus suis transmiserat. His postremis jubebatur Bossuet cum aliis quibusdam theologicum quoddiam fundamentum substernere. Quod et praestare conatus est eo quidem modo quem natura malae causae permittebat. Atque hae Parlamentorum Regumque libertates erga Papam et Episcopos, solae sunt quae in recepta passim significatione libertates Ecclesiae Gallicanae vocabantur.

De his Libertatibus Fleury citatus a C. De Maistre (Eglise Gallicane lib. 2. cap. 14.) sic loquitur: "La grande servitude de l'Eglise gallicane, c'est l'étendue excessive

de la juridiction temporelle; on pourrait faire un traité des servitudes de l'Eglise Gallicane, comme on en a fait des Libertés; et l'on ne manquerait point de preuves.... les appellations comme d'abus ont achevé de ruiner la juridiction ecclésiastique."

De his Libertatibus Fénélon (ibidem): "Le Roi en pratique est plus chef de l'église que le Pape en France. Libertés à l'égard du Pape, servitude à l'égard du Roi. Autorité du Roi sur l'Eglise dévolue aux juges laïques. Les laïques dominent les Evêques. Abus énormes de l'appel comme d'abus. Cas royaux à réformer. Abus vouloir que des laïques examinent les Bulles sur la foi. Autrefois l'église sous prétexte du serment apposé aux contrats, jugeait de tout, aujourd'hui les laïques sous prétexte du possessoire jugent de tout, etc."

Ipse Bossuet in Oratione funebri Di Le Tellier, quaerit "Si l'on peut enfin espérer que les jaloux de la France n'auront pas éternellement à lui reprocher les libertés de l'Eglise, toujours employées contre elle."

Annotationes in Art. 4m

Articulus iste implicite asserit nobis non solum possibilitatem, sed etiam necessitatem fidei provisoriae. Nam "In fidei quoque quaestionibus Summi Pontificis decreta pertinent ad omnes et singulas Ecclesias"; tenentur ergo omnes et singulae Ecclesiae facere sinceram professionem fidei, qualem Pontifex decreto suo exigit: adeoque tenentur internum actum fidei facere conformem externae professionae suae. Sed quum judicium Summi Pontificis non sit irreformabile, nisi Ecclesiae consensus accesserit, restat ut actus fidei fiat duntaxat provisorie, scilicet donec judicium Pontificis aut reformetur aut approbetur!!!

Et hoc judicium Summi Pontificis quis reformabit, si reformatione indigeat? Respondetur: Episcoporum aut unanimitas, aut numerus major. Et Episcopi qui a fundamento Ecclesiae sejungentur, quomodo pertinebunt ad Aedificium illud quod supra Petrum fundatum est? Et Oves quae adversus Pastorem insurgent, gerentne se ut Oves? Et ii qui omnibus diebus usque ad consummationem saeculi non minus erunt sub visibili capite Petro, quam sub invisibili capite Christo, discedentne unquam a vi-

sibile capite Petro? Altum de hoc scrupulo silentium. Vide de tota hac quaestione De Maistre, Du Pape, et De l'Eglise Gallicane.

Articulus 7.us

Quanta sit auctoritas SS. Patrum et Theologorum.

Patres Ecclesiae appellare solemus praecellentis doctrinae Scriptores Ecclesiasticos, qui in gremio Ecclesiae ad finem usque vixerunt, ante saeculum duodecimum.

Dicitur praecellentis doctrinae etc.: quia Patres Ecclesiae non appellamus eos quorum doctrina, ut insignis non est, ita non majorem habet auctoritatem quam quae omnibus passim communis est.

Dicitur qui in gremio Ecclesiae ad finem usque vixerunt, scilicet a tempore quo Christiani facti sunt. Hinc Patribus Ecclesiae non annumeramus Tertullianum, quamvis opera quae ante defectionem suam edidit, magnae sint auctoritatis.

Dicitur ante saeculum duodecimum, quia non solet Ecclesia Patres vocare illos qui post hanc aetatem vixerunt.

Theologos vocamus illos qui post saeculum duodecimum doctrinam Ecclesiae scriptis suis insigniter illustrarunt: ejusmodi sunt Petrus Lombardus Alexander de Hales, etc.

Doctores Ecclesiae vocamus eos tantum quos propter sanctitatem et mirabilem doctrinam, Ecclesia fidelibus proponit ut Christianae doctrinae magistros, atque (ut Sylvius ait) omnibus fidelibus sequendos: cujusmodi sunt Athanasius, Basilius, Gregorius Naz., Chrysostomus, Augustinus, Bernardus, Thomas Aq., Bonaventura, etc. His Doctoribus istud, ni fallor, prae caeteris est collatum, ut id ad Ecclesiae doctrinam pertinere censeatur, quod hi Doctores ad eam pertinere docuerint. Quare Decreto illo quo Doctorem quempiam Ecclesia declarat, non adstringit fideles ad ea amplectenda quae Doctor ut opinionem suam proponit aut defendit, sed ea tantum quae Catholicam doctrinam esse tenuerint: Christianae enim et Catholicae Veritatis, non vero opinionum humanarum, Doctores sunt ab Ecclesia designati. His praemissis,

Tria sunt quae de Patrum et Theologorum auctoritate affirmamus.

1°.) Si omnes Patres qui quaestionem quaestionem quamdam dogmaticam tractarunt aut moralem, testentur suam de illa quaestione sententiam, ipsius Ecclesiae sententiam esse; dubitari non potest quin res ista se habeat uti Patres illi testantur.

2°.) Si omnes Patres qui quaestionem quamdam dogmaticam aut moralem trac-

taverunt, eandem omnes solutionem quas e verbo Dei ratiocinando deducant, dubitari nequit quin vera sit ista solutio.

3°.) Cujuslibet Patris seorsim sumpti, si alii non contradicant, testimonium aut ratiocinium in quaestione fidei aut morum, gravis quidem auctoritas est, sed non peremptoria, nisi forte quum est Ecclesiae Doctor. Dico, nisi forte, quia nondum nactus sum explicationem certam discriminis quod Ecclesia ponit inter Patrem aut Theologum qui simul sit doctor Ecclesiae, et eum qui non sit.

Ratio primae assertionis est: quod assecuti non essent, aut certe non retinuissent publicam in Ecclesia famam praecellentis orthodoxiae et doctrinae qui volentes aut nolentes falsum testimonium tulissent de Doctrina quam Ecclesia publice profitetur: fuissent enim statim et publice convicti aut crassi erroris, aut impudentis mendacii.

Ratio 2ae. assertionis est: α, quod sicut in Jurisprudentia omnium Jurisperitorum in eandem interpretationem aut conclusionem concurrens sententia nullum relinquit dubio locum; ita et in fidei aut morum doctrina interpretanda aut probanda, certitudinem parit unanimis peritorum sententia. Et quidem a fortiori.

Nam β, quum Patres sive testando, sive ratiocinando super doctrina fidei et morum, non

possint quidquam docere velle praeter id quod vident Ecclesiae sui temporis jam traditum ab Apostolis, concors eorum Doctrina necessario connectitur cum existentia traditionis primitivae ad Patrum aetatem procurrentis: ut proinde Patrum uniformi doctrinae Concilia eamdem exhibeant reverentiam quam universalis Ecclesiae Traditioni.

Hinc Ephesini Concilii Act. 1ª statuitur: "Divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens sanctorum Patrum tenuerit antiquitas."

Et Lateranense sub Martino I. Consult 5.ª definit: "condemnatum esse et alienum Sanctae Dei Ecclesiae, quisquis non verbo et mente venerabiles Patres, cunctaque quae ab illis pro fide orthodoxa exposita sunt in destructionem omnium haeresum."

Nicaenum II. "qui doctrinas sanctorum Patrum et Ecclesiae Catholicae traditionem contemnunt, et causantur, et voces Arii, Nestorii, Eutychis et Dioscori jactant dicentes, quod nisi satis ex veteri et Novo Testamento instructi essemus, Sanctorum Patrum et Ecclesiae Catholicae traditionem non sequeremur, anathema sit."

Tridentinum Sess. 4ª decernit: "Ut nemo . . . . contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat."

Intelligitur autem per se, Patrum con-

sensum illum quem Ecclesia pro certo criterio veritatis suscipit, esse consensum omnibus iis notis insignitum, quae plane probant, Patres decipere aut decipi nec voluisse nec potuisse. Nec dicas declarationem Ecclesiae sic acceptam supervacaneam esse: Protestantes enim negabant oriri certitudinem fidei e consensu Patrum quantocumque, uti videre est apud Natalem Alexandrum in Saeculi 2ⁱ. Dissertatione 16ª contra librum Dallaei de Vero Usu Patrum. Vide etiam Bergier Diction. Théol. art. Pères de l'Eglise.

Ratio 3ᵘᵃ assertionis, sumptae in sua generalitate, fundatur in eo quod generatim loquendo, de unius cujuspiam testis scientia ac veracitate non ita plane constat, ut non supersit legitima formido de possibilitate contrarii. Igitur si talia quandoque sint adjuncta personae, loci, temporis, etc. quae talem formidinem excludant, poterit etiam unius testis assertio parere certitudinem.

Objectiones. —

1º. Augustinus Epist. 111ª ad Fortunatianum ait: "neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum et laudatorum hominum velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorifi-

contra quae illis debetur, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere."

Et S. Thomas 1a. p. q. 1a. art. 8. ad 2m. dicit Theologum uti auctoritatibus Doctorum Ecclesiae non ex necessitate, sed probabiliter.

Respondetur, Augustinum loqui non de consensu Patrum, sed de sententiis singulorum, ut singulorum: Verum consentientes de quopiam dogmate Patres fuisse Augustino auctoritatem quae causae finiendae satis esset, videre est e Libro 2°. contra Iulianum cap. 34. 35. 36. 37.

S. Thomas ibidem significat se loqui de auctoritate Patrum eo modo quo loquitur de ipsa Augustinus in Epist. 19a. ad Hieronymum, dicens: "Solis enim Scripturarum libris qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo errasse aliquid, firmissime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt vel scripserunt." Scilicet auctori non inspirato nec infallibili non ideo credimus quia affirmat, sed ideo solum quod de ejus scientia et veracitate in hoc ejus testimonio, contingit adesse, quae non semper adsunt, indicia sufficientia.

2°. Ideo solum credimus Scriptoribus canonicis, quia errare non possunt: pos-

sunt vero Patres errare, imo vix ullus inter eos est qui non aliquando erraverit, etiam in materiis ab Ecclesia definitis.

Respondetur, Scriptoribus sacris vel divina vel humana fide creditur: divina quidem, quum considerantur ut Organa Dei per eos loquentis; quo modo nec errabant actu, nec poterant errare: humana vero fide creditur eis, quum testimonium eorum consideratur ut historice certum; et hoc modo non considerantur ut qui errare non potuerint, sed ut qui actu non erraverint.

Patribus autem quum certam fidem adhibemus, humanam adhibemus, tanquam hominibus doctrinam Ecclesiae fideliter attestantibus; qui proinde potuerint distributive sumpti errare, sed collective sumpti, in concordi scil. testimonio, reapse non errarint.

3º Verbo Dei nititur fides divina: Patrum autem attestatio humanum Verbum est, non divinum; ergo fides non nititur attestatione Patrum.

Respondetur, D. maj. Verbo divinae Veritatis, ut motivo credendi verum esse id quod Deus dicit, Concedo Maj.; ut medio sufficienter notificante realitatem revelationis, subdist. Verbo divino ut transmisso nobis per Ecclesiam, cujus membra sunt Patres, concedo. Verbo Dei solo seu immediato, Nego.

Similiter Dist. Min. attestatio Patrum, considerata ut vehiculum per quod certo transmittitur nobis doctrina Ecclesiae, adeoque et Verbum divinum quod per Ecclesiae doctrinam proponitur, nec humanum verbum est, Concedo Min.; attestatio Patrum considerata in objecto suo, Nego Min.; hoc enim objectum est Doctrina Ecclesiae proponentis Verbum Dei.

Supersunt circa hanc materiam, tria annotanda.

α) Non colit Ecclesia ut Sanctos, eos in quorum scriptis invenitur quidpiam erroneum circa doctrinam fidei aut morum, quae tempore Scriptoris jam fuerat per Ecclesiam explicite proposita. Testatur hoc Benedictus XIV. de Canoniz. SS. lib. 2° Cap. 33. num. 13. Excipitur casus, quo Scriptor errorem retractaverit. Sed generalis professio qua Scriptor librum suum subjicit examini ac judicio Ecclesiae, non habetur pro retractatione requisita ad Canonizationem.

β) Potest Ecclesia canonizare Scriptores qui protulerint aliquid erroneum circa fidem aut mores, antequam Ecclesia Doctrinam contrariam explicite proponeret. Ibid. lib. 2. Cap. 29 et 30.

γ) Quum Ecclesia declarat scripta eorum quos canonizat, nihil continere censura dignum, non ideo censenda est doctrinam eorum approbare, sed tantummodo non improbare. Ita nimirum docet Benedictus XIV. ibid. libr. 2. Cap. 34. num. 12. "Hoc unum pro coronide addendum

esse videtur, nunquam posse dici a Sancta Sede approbatam Servi Dei doctrinam, sed ad summum dici posse non reprobatam, si Revisores retulerunt nihil in ejus Operibus reperiri, quod adversetur Decretis Urbani VIII. et judicium Revisorum fuit a S. Congregatione approbatum, et a Summo Pontifice confirmatum; praedictamque idcirco doctrinam, debita cum reverentia posse, citra ullam temeritatis notam impugnari, si modesta impugnatio bonis rationibus innixa sit, etiam postquam Dei Servus qui scripsit, inter Beatos aut Sanctos fuerit relatus."

— Pars 4ª —

De Objecto adaequato Infallibilitatis Ecclesiae.

Ponimus hac de re quinque Propositiones, non quod nequeat totum Infallibilitatis Objectum brevius exponi, sed ut melius pateat distinctio eorum quae in hoc generali Objecto comprehenduntur.

Prop. 21ª.

Proponit Ecclesia totum id quod Christus credendum, sperandum et agendum praecepit.

Prob. 1°. Ex Matth. 28. ubi Christus ait: "Euntes ergo docete omnes gentes ..... docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis". Et subjungit: "Et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, quibus verbis promisit eis perpetuo efficacem assistentiam ad totum id praestandum, ad quod in mundum universum mittebantur.

Prob. 2°. Non instituit Christus ullam seriem testium ad transmittendam posteritati doctrinam Ecclesiae ignotam. Debuisset tamen Christus talem testium seriem instituere, si voluisset transmitti posteritati Doctrinam ignotam Ecclesiae. Ergo non voluit Christus transmitti posteritati doctrinam ignotam Ecclesiae.

Confirmatur. Irenaeus contra Haeres. lib. 3°. Cap. 4°. "Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, quum Apostoli, quasi in depositorium dives plenissime contulerint in eam omnia quae sunt veritatis."

Tertullianus postquam in libr. de Praescript. cap. 22. 23. 24. 25. 26. probavit non posse dici Apostolos quidquam in doctrina fidei ignorasse aut non plene tradidisse, subjungit Cap. 27.: "Si ergo incredibile est, vel ignorasse Apostolos plenitudinem praedicationis, vel non omnem ordinem regulae omnibus edidisse, videamus ne forte Apostoli simpliciter et

plene, Ecclesiae autem suo vitio aliter acceperint quam Apostoli proferebant. Omnia ista scrupulositatis incitamenta invenias praetendi ab haereticis. Tenent correptas ab Apostolis Ecclesias: "Oh insensati Galatae quis vos fascinavit" (Gal. 3.); et, "tam bene currebatis, quis vos impediit?" (Gal. 5.); ipsumque principium: "Miror quod sic tam cito transferimini ab Eo qui vocavit in gratiam, ad aliud Evangelium ...... quum correptas Ecclesias opponunt, credant emendatas. Sed et illas recognoscant de quarum fide et scientia et conversatione Apostolus gaudet et Deo gratias agit: quae tamen hodie cum illis correptis unius institutionis jura commiscent."

Adde illa testimonia quae Prop. 9. adduximus ad probandum Traditionem Societatis Catholicae (scriptam et non scriptam) semper fuisse agnitam testimonio uniformi et universali pro regula ultra quam nihil sit in religione quaerendum; quod quidem verum non esset si Traditio Ecclesiae non contineret totum id quod Christus servari mandavit.

Hinc etiam apparet falsas fuisse Ecclesias illas Calvinistarum aliorumque Sectariorum quae distinguebant in doctrina ad salutem humani generis revelata articulos alios fundamentales, alios non fun-

damentales, hoc sensu, ut illos credi oporteret, istos vero nec explicitâ nec implicitâ fide tenere debeamus; sive enim per Prophetas, sive per Filium suum loquatur, ideo loquitur Deus ut ei loquenti adhibeatur fides.

Occurrit hoc loco elucidanda vulgaris quaestio, quomodo verum sit proponi ab Ecclesia totam Christi doctrinam, et quidem omni tempore. Constat enim processu temporis symbola evasisse ampliora, et nova quaeque Concilia generalia Articulis pridem definitis novos addidisse. Constat etiam multa credi a doctis quae indoctis ignota manent. Quomodo ergo dicemus ab omnibus omnia credi et unam omnium esse fidem?

Ad solutionem propositae difficultatis explicandum est quid dicatur explicite credi, quid implicite, et quot modis aliquid implicite credatur. Deinde applicandae sunt haec notiones quaestioni praesenti.

1) Explicite credi dicitur id quod credenti propositum fuit, verbis usitatis ac propriis, v.g., Deus unus est in natura, trinus in personis.

Implicite credi dicitur id quod credenti propositum fuit, non sub terminis propriis et undequaque determinantibus, sed formaliter aequivalentibus, id est, eundem conceptum aliter exprimentibus.

2) Formaliter aequivalentes propositiones

continentur in iis quae mox enumerabuntur.

a) Propositio universalis formaliter aequivalet, id est, quoad conceptum identica est cum omni propositione particulari cujus subjectum idem est ac subjectum propositionis universalis, v.g., quum Christus promittit futurum se cum Collegio Apostolico <u>omnibus</u> <u>diebus</u> usque ad consummationem saeculi, promittit eo ipso futurum se cum isto Collegio saeculo 1°, 2°, 3°, ... 19°, ... 20°, etc., etc. Est enim perinde ac si dixisset: Collegium Apostolicum cujuslibet saeculi habebit me sibi assistentem: <u>quodlibet</u> autem <u>saeculum</u> nonnisi brevior expressio est pro enumeratione omnium saeculorum usque ad consummationem temporum.

b) Revelata existentia rei cujuspiam, eo ipso revelatum est rem illam talem essentialiter esse, qualem requirit definitio essentiae ejus; v. g. quum revelatur Christum esse hominem, eo ipso revelatur eum praeditum esse ratione, quia <u>animal</u> <u>rationale</u> definitio est essentiae hominis.

c) Revelato uno correlativorum, revelatum formaliter est et alterum correlativum. V.g. Revelato quod Christus semper praesens est cum Collegio Apostolico,

eo ipso revelatum est Collegium Apostolicum semper futurum esse.

d) Revelata veritate cujuspiam propositionis, revelata est simul falsitas propositionis contradictoriae. V.g. Quum revelatum est Ecclesiam infallibiliter profiteri veram Christi doctrinam, etiam revelatum est Ecclesiam infallibili certitudine damnare doctrinam revelatae contradictoriam.

e) Revelata exceptione ut exceptione, formaliter revelata est et regula in oppositum. V.g. Revelato quod non tenerentur Judaei servare legem Mosaicam nisi de suffocato et sanguine, formaliter implicite revelatum est omnes alias partes Mosaicae legis obligatorias non esse. His positis dicimus

3° Articulos fidei quos Concilia successive plures usque proponunt, non esse nisi explicitam declarationem eorum quae in Verbo Dei seu scripto seu tradito formaliter continentur aut explicite aut implicite. Conceptus ergo contenti in Verbo Dei manent iidem quantuscunque sit novorum articulorum numerus, quippe qui non sunt nisi conceptus jam olim revelati nova contra novos errores expressio.

Ad alteram objectionem dicimus, regulam supremam fidei Catholicae esse

Verbum Dei propositum ab Ecclesia. Hanc regulam tenet quisquis est manetque Catholicus. Ergo rudes licet ignorent hunc illumve individuum articulum fuisse ab Ecclesia propositum, nihilominus formaliter implicite articulum istum credunt, dum credunt id omne divina fide credendum esse quod Ecclesia pro Verbo Dei proposuerit.

Nec refert ad Unitatem fidei quod alius plures, alius pauciores articulos cognoscat, quia unitas quam Deus exigit et quam Ecclesiae contulit non consistit in eo quod omnes aequalem numerum articulorum norint, sed quod unam omnes ac visibilem credendorum regulam sequantur, scil. Verbum Dei propositum ab Ecclesia.

Prop. 22a.

Ecclesia docens infallibilis est in discernendo objectum infallibilitatis suae, et omnes conditiones ad eam requisitas.

Sensus Propositionis est, nunquam dici posse de Ecclesiasticae Potestatis Decretis pro tota Ecclesia conditis, id quod de Civilis Potestatis Decretis notissime asseritur, ea quandoque transcendere limites decernentis Potestatis. Quaenam ad vim dogmaticam Decretorum Ecclesiae requiratur

certitudo de legitimitate Pontificis, vel etiam de legitimitate Concilii Oecumenici, etc, etc. affirmamus in hac propositione, quum Corpus Pastorum, et consequenter Ecclesia universalis acceptat Decreta dogmatica seu Summi Pontificis, absque Concilio Oecumenico, seu ejusdem Pontificis cum Concilio Oecumenico decernentis, infallibilem esse certitudinem qua Corpus Pastorum, et consequenter Ecclesia Universalis cognoscit legitimitatem tum Papae, tum Concilii, caeterasque omnes conditiones ad valorem Decreti dogmatici requisitas.

Prob. Nequit conclusio esse magis certa quam praemissae e quibus solis legitime fluit: atqui infallibilis certitudo Decretorum fidei ex his praemissis fluere debet: 1° Omne Decretum dogmaticum factum a Papa legitimo et acceptatum a Corpore Pastorum, infallibile est; 2° Hoc particulare Decretum dogmaticum factum est a Papa legitimo et acceptatum est a Corpore Pastorum. Ergo de utraque hac praemissâ debet constare infallibiliter, ut possit constare infallibiliter de Infallibilitate Decreti.

Jam vero 2a praemissa exprimit non solum duas, sed multas conditiones sine quibus Decretum dogmaticum non potest dici factum a Papa ut Papa, nec acceptatum a Corpore Pastorum. Ergo de imple_

tione conditionum requisitarum ad Infallibilitatem, debet Corpus Pastorum habere notitiam infallibilem, ut proponat Decretum tamquam infallibile. Et vicissim si Corpori Pastorum occurrat legitima formido de impletione talium conditionum, infallibile corpus Pastorum infallibiliter abstinebit a proponendo Decreto ut Dogmatico seu Infallibili.

Dices: Infallibilitas non est collata Corpori Pastorum relate ad res ordinis mere naturalis quas Deus nec in Scriptura nec in perpetua Traditione proposuit. Atqui legitimitas Electionis alicujus, imo cujuscunque Papæ, res est mere naturalis, quæ nec in Scripto nec in Tradito Dei Verbo continetur. Ergo Corpori Pastorum non confertur unquam infallibilis notitia legitimitatis talium Electionum.

Respondemus, Negandam esse Minorem. Nam legitimitas Electionum istarum est conditio _sine qua non_ tum auctoritatis cujuslibet Papæ, tum Auctoritatis Conciliorum, tum Visibilis Unitatis Ecclesiæ: ergo non est mere naturalis, sed habet necessariam connexionem cum existentia supernaturalis Hierarchiæ. Deinde, quamvis legitimitas cujuscunque seorsim Electionis Papæ non contineatur ullatenus in Verbo Dei, sed tantum in testimonio

sensuum et testium, tamen debet Deus Ecclesiae suae circa hujusmodi facta eum cognitionis gradum ac certitudinem dare quae ad generandam ac sustentandam fidem sufficiat; non sufficeret autem notitia cui subesset legitima formido de possibilitate contrarii.

Si denique objicias, legitimitatem Summorum Pontificum dubiam fuisse per annos circiter quadraginta ante postremas Sessiones Concilii Constantiensis, adeoque defuisse Corpori Pastorum infallibilem, quam ei tribuimus, talium factorum notitiam: Respondemus, non affirmari a nobis Corpus Pastorum omnia ejusmodi facta quomodo se habeant infallibiliter cognoscere, sed ea tantum sine quorum infallibili cognitione non staret infallibilis auctoritas Decretorum ejus.

Prop 23ª

Ecclesia docens determinat infallibiliter quibus in libris aut Traditionibus non-scriptis contineatur Verbum Dei ad salutem humani generis prolatum.

Prob. Ex Prop. 14ª. Corpus Pastorum infallibiliter docet omnes gentes id omne quod divina fide tenendum est, scilicet

omne ac solum Dei Verbum ad salutem humani generis prolatum. Nequit autem Ecclesia hoc præstare quin ostendat infallibiliter quibus in Libris aut Traditionibus totum et purum hoc Verbum Dei contineatur. Ergo Ecclesia docens determinat infallibiliter, etc.

Hinc est, quod quum Protestantes nullam agnoscant infallibilem auctoritatem seu divinam seu humanam quæ determinet quibus in Libris aut Traditionibus Verbum Dei contineatur, non solum non possunt præstare Verbo Dei fidem divinam, verum etiam nec humanam cum certitudine excludente formidinem legitimam.

Prop. 24ª

Ecclesia docens determinat infallibiliter sensum S.S. Scripturarum

Prob. Corpus Pastorum docet infallibiliter omnes gentes omne id quod Deus humano generi credendum proposuit. Atqui id quod Deus credendum proposuit est formaliter ipse sensus Verbi divini. Ergo si Verbum divinum continetur partialiter in S.S. scripturis, ut revera contineri ostendimus, Parte 1ª prop. 9ª et Parte 2ª Prop 10ª, certum est Ecclesiam docentem determinare infalli-

biliter sensum S.S. Scripturarum.

Prop. 25ª

Ecclesia docens determinat infallibiliter quibus in verbis aut scriptis continetur doctrina fidei Catholicae aut bonis moribus seu contraria seu periculosa.

Propositio ista significat praecise id quod Theologi Catholici adversus Jansenianos defendunt, quum affirmant Ecclesiam docentem determinare infallibiliter facta dogmatica. Quod ut intelligatur notandum est, quaestionem, an liber qui inscriptus est Cornelii Jansenii Augustinus contineat haereticam illam doctrinam quae in damnatis ab Innocentio X. quinque Propositionibus exprimitur, vocatam fuisse a Jansenianis quaestionem Facti, concesserunt quidem Janseniani, post promulgatam Innocentii constitutionem, id quod antea negaverant, quinque illas propes reapse haereticas esse, sed negaverunt et adhuc negant, haereses expressas in illis Propositionibus contineri ullo modo in libro illo qui inscriptus est Corn. Jansenii Augustinus. Et ratio ob quam negant posse se legitime compelli ad agnoscendam haereticitatem hujus li-

bri, petitur ex eo quod Ecclesia non sit infallibilis in judicio de _factis_ quae in Verbo Dei nec explicite nec implicite continentur; quod autem haereses illarum quinque Propositionum contineantur in Augustino Jansenii, factum esse, seu verum seu falsum, quod in Verbo Dei nullatenus continetur. Catholici vero Theologi unanimiter contendunt Ecclesiam infallibilem esse in judicio solemni quo pronuntiat hunc librum has haereses continere: et hoc factum vocant _factum dogmaticum_, id est, factum circa quod necesse sit Ecclesiam infallibiliter judicare posse, ut possit Dogmatum custodiam infallibilem exercere.
Sed probe decernendum est istud factum ab illo alio, quod scil. liber iste _Cornelii Jansenii sit_, quantum id quidem inscriptio testatur: hoc enim ipse Libri titulus evidenter ostendit omnibus iis qui noverunt legere, adeoque factum istud non requirebat discussionem theologicam et sententiam judicialem; sed tamen affirmatur in Decreto non quidem ut res decreta, sed ut circumstantia designans subjectum de quo res decreta affirmatur, scil. haereticitas. Fuisset autem hujus libri haereticitas affirmata etiam si nullius auctoris nomen inscriptum habuisset: unde fit ut possit defendi

infallibilitas Ecclesiæ pronuntiantis hunc in individuo librum, auctoris vel noti vel ignoti, hæreticam esse, quin examinetur quaestio an Ecclesia sit infallibilis in assignando auctore libri. His præmissis probamus Propositionem nostram.

1° Ex manifesta contradictione inter id quod Janseniani concedunt et id quod negant. Concedunt Ecclesiam infallibilem esse in judicio quo pronuntiat quinque Propositiones designatas in Constitutione Innocentii X esse hæreticas. Negant vero Ecclesiam infallibilem esse in judicio quo pronuntiat librum Cornelii Jansenii continere ipsas illas haereses quæ in quinque Propositionibus inventa ac damnatæ sunt. Affirmat quippe Innocentius X in Brevi dato 29. Sept. 1654. " Damnamus in Quinque " Propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam " ejus libro contentam, cui titulus Augustinus." Et Alexander VII. in Bulla data 16. Octob. 1656. ait: " præinsertam Innocentii prædecessoris nostri Constitutionem, " Declarationem et Definitionem harum serie confirmamus, approbamus et innovamus, et quinque illas Prop.es ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis, cui titulus Augustinus, excerptas ac in sensu ab eodem auctore intento damnatas fuisse declaramus et definimus,

"et ..... iterum damnamus." Vide etiam Formulam praescriptam ab Alexandro VII citatam pag. 278.

Dicunt autem Janseniani Ecclesiam non esse infallibilem in pronuntianda haereticitate libri qui inscribitur Jansenii Augustinus, eo quod non sit a Deo revelatum existere talem librum, aut sensum Propositionum ejus eundem esse ac sensum quinque prop.^{um}, aut verba et prop.^{es} ejus exhibere sensum grammaticum praecise hunc et non alium.

Jam vero neque revelavit Deus conscriptas fuisse a quopiam quinque prop.^{es}, aut sensum earum contradictorie opponi dogmati sufficienter proposito, aut verba et propositiones earum exhibere sensum grammaticum praecise hunc et non alium. Et tamen fatentur Ecclesiam infallibilem esse in declaranda haereticitate quinque propositionum.

Et patet absurditas etiam ex ipsa natura rei de qua agimus. Quid enim sunt quinque illae prop.^{es} nisi textus brevis? Quid liber Jansenii nisi textus longus? Num ostendent nobis Janseniani quanta sit longitudo textus, intra quam Ecclesia sit infallibilis, ultra quam sit fallibilis? Quis non videt majorem esse necessitatem infallibilitatis Judicii Ecclesiastici contra

longi textus argumenta et rhetoricas artes, quam contra quinque propositionum nudam et inermem brevitatem. Praeterea nemo non videt facilius detegi verum sensum scriptoris e longa serie argumentorum unam rem multis modis inculcantium in libro bene longo, quam unius breviisque Propositionis, nec antecedentium nec consequentium lumine ullo collustratae. Atqui contendunt Jansenistae quinque propositiones non esse ullius libri compendium ac veluti substantiam, sed a Sorbonico quopiam Doctore ad libitum excogitatas, et quasi arreptas ex aëre sic fuisse Papae exhibitas. Hoc quamvis prorsus falsum est, ut Jansenium legenti patet, tamen magnopere contra Jansenianos facit, quandoquidem multo facilius intelligitur totius cujuspiam libri, quam sejunctae ab omni contextu propositionis sensus. Unde si infallibile concedunt esse judicium Ecclesiae de sejunctis, brevibusque Propositionibus, multo magis debebunt id concedere de sensu illius Libri in quo Jansenius mentem suam tam multis, tamque dilucidis argumentis explicavit. Denique <u>longus</u> textus libri cujuscumque componitur utique e multis textibus brevibus qui unius propositionis amplitudinem non excedunt. Est autem Ecclesia infallibilis circa textum <u>longum</u>, quum infallibilis est circa sensum omnium breviorum qui longum illum constituunt.

2°. Ex Infallibilitate promissa Ecclesiae docenti. Tenent Janseniani Ecclesiam errasse, quum definivit librum Jansenii haereticum esse: quia nimirum Ecclesia non sit assecuta naturalem, ac proprium hujus libri sensum.

Nos vero Catholici contendimus Ecclesiam infallibiliter dignoscere naturalem ac proprium sensum, tum eorum verborum quae doctrinam Catholicam fideliter exprimunt, tum eorum quae hanc doctrinam corrumpunt.

Est enim jam probatum (Prop. 14.) promissam esse Corpori Pastorum Infallibilitatem in docendo omnes gentes servare omnia quaecunque Christus mandavit ad humani generis salutem.

Atqui quum jubentur Pastores docere doctrinam salutis omnes gentes, jubentur eo ipso notare ac damnare errorem oppositum doctrinae salutari: tum α) quia affirmare aliquid idem est ac negare assertionem contradictorie oppositam; tum β) quia nihil proderit docere veritatem salutis, nisi defendatur contra oppositos errores; defenditur autem notando ac damnando errores oppositos; tum γ) quia Apostoli hoc Officium notandi ac damnandi haereticorum doctrinas impositum sibi testantur et exercent.

Testantur quidem Matth. 7, 15 – "Attendite a falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces". – Si autem debet grex eos vitare, utique debet Pastor eos designare vitandos – Act. 20, 28. "Attendite vobis et universo gregi .... Ego scio quoniam intrabunt post discessionem lupi rapaces in vos". – Timoth. I. cap 5, 20. "Peccantes coram omnibus argue" – Et II Timoth. 4, 2, argue, obsecra, increpa in omni patientia. Erit enim tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria

coacervabunt sibi magistros, prurientibus auribus. Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora." — Ad Tit. 1. jubet Paulus ut Episcopus "potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores; maxime qui de circumcisione sunt quos oportet redargui".

Exercent hanc potestatem et officium doctrinas heterodoxas notandi et damnandi α) Apostolus I Corinth. 15. contra eos qui negant futuram esse Resurrectionem. — Item ad Galat. 5. contra doctrinam eorum qui exigebant circumcisionem ut sine qua salus non esset, sic loquitur: "Ecce ego Paulus dico vobis quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Vide etiam II Tim. 2, 18,. β) Joannes Epist. I 2, 22 "quis est mendax nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? . . . . . hanc scripsi vobis de his qui seducunt vos" γ) Judas in Epist Catholica: "Omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis deprecans supercertari traditae semel sanctis fidei. Subintroverunt enim quidam homines . . . impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes"

Superest jam probandum non posse Ecclesiam infallibiliter docere veritatem; et damnare errorem, nisi infallibiliter determinet qui sit sensus naturalis et proprius Orthodoxorum et Heterodoxorum.

Docere infallibiliter Catholicam veritatem perinde est ac infallibiliter discernere sensum genuinum et Orthodoxum textus cujuspiam eumque sub hoc sensu credendum proponere: et similiter errorem infallibiliter notare ac damnare est discernere infallibiliter sensum genuinum et heterodoxum textus cujuspiam, eumque ut repudiandum fidelibus proponere. Atqui sensus genuinus ille est omnis et solus qui naturalis est ac proprius: naturalis inquam, id est, conformis receptae passim significationi verborum; proprius autem, id est, scopo sermonis, naturae rei de qua agitur, antecedentibus et consequentibus tam exclusive congruens, ut omnibus passim seu legentibus seu audientibus occurrat ut sensus in hoc contextu unicus ac necessarius, qui etiam vocari solet sensus obvius.

Majorem hujus postremi ratiocinii, quamvis per se satis claram, non erit forte inutile confirmare.

1º Nequit Ecclesia infallibiliter praedicare Orthodoxum illum textum cujus genuinum id est, unicum verum sensum, non discernit infallibiliter: quia non est major certitudo de propositionis veritate quam de existentia subjecti ejus; textus autem est subjectum propositionis praedicantis Orthodoxiam de textu. Ergo si de textu non constet infallibiliter non erit textus infallibiliter Orthodoxus. Jam vero textus quicunque formaliter sumptus non est nisi genuina ejus significatio. Ergo non constabit infallibiliter de textu nisi constet infallibiliter de genuina ejus significatione. Ergo Catholicam Veritatem non docebit Ecclesia infallibiliter nisi textuum Orthodoxorum

genuinam significationem infallibiliter assequuta est.

2°. Nequit Ecclesia infallibiliter damnare ut erroneum textum illum, seu brevem seu longum, cujus genuinum et unicum sensum non discernit infallibiliter: et hoc Janseniani non concedunt solum, sed acerrime propugnant. Atqui sequitur hinc α) si Ecclesia non sit infallibilis in discernendo genuino sensu textus erronei, omnes haereticos posse rationabiliter resistere Ecclesiae praecipienti ut divina fide credatur Heterodoxia hujus textus, et Orthodoxia textus contradictorie oppositi. Fallibilis enim auctoritas divinam fidem exigere nequit utriuslibet e duobus contradictoriis. Ergo Protestantes merito negabunt credendam esse fide divina sententiam illam quae in Tridentinis Canonibus anathematizato cuique textui Protestantico contradictorie opponitur.

β) Ergo etiam fideles Ecclesiae filii conjicientur in necessitatem aut Ecclesiae Decretis non obediendi, ne fidem divinam illicite praestent, quantum in eis est, decisioni fallibili, aut incidendi in errorem si fallibili decisioni obsequantur. Si enim Ecclesia docens non discernat infallibiliter cujuscumque textus cum fide congruentis aut eidem oppositi sensum genuinum, poterit omnino fieri ut textum qui in sensu genuino orthodoxus est, Ecclesia declaret heterodoxum, quia non accipit eum in sensu suo genuino: et vicissim textum qui in sensu genuino erroneus est, poterit Ecclesia declarare Catholicum, quia non accipit eum in sensu suo genuino. Et in hoc Corollario continentur tria sequentia.

a) Ecclesia in hac hypothesi non esset infallibilis in transmittendo verbo Dei tradito. Nam Ecclesia non videt Verbum Dei traditum, nisi in textu Liturgiarum, Symbolorum, Canonum, et in textibus Patrum Ecclesiae; Ergo si possit Ecclesia errare circa textus connexos cum doctrina fidei, potest Ecclesia errare circa Verbum Dei traditum.

b) Ecclesia in eadem hypothesi non esset infallibilis in explicandis textibus contentis in Verbo Dei consignato in Scripturis Canonicis.

c) Ecclesia in eadem hypothesi non esset infallibilis in discernendo genuino sensu textuum quos Symbolo inserit, neque textuum quos proponit ut Canones dogmaticos.

Viderint ergo Jansenistae quomodo concilientur ista consectaria cum infallibilitate Ecclesiae et cum Officio omnibus Pastoribus imposito per ista Apostoli verba, _Formam habe sanorum verborum ..... Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum_ (II Tim. 1, 13) _Et O Timothee depositum custodi devitans profanas vocum novitates._ (I Tim. 6, 20.)

3°. Ex praxi Conciliorum.

In Concilio Ephesino (Labbe Tom. III.) legitur Epistola S. Cyrilli ad Nestorium, et Concilium declarat eam esse conformem fidei Symboli Nicaeni. Deinde legitur Epistola Nestorii ad S. Cyrillum, et Omnes Episcopi simul exclamaverunt: quicunque Nestorium non anathematizat, anathema sit.... Omnes Nestorii Epistolam et dogmata anathematizamus

omnes haereticum Nestorium anathematizamus: impiam fidem Nestorii anathematizamus" (ibid. col 501)

In Concilio Chalsedonensi, quum tredecim Episcopi Aegyptii non auderent, vacante per Dioscori depositionem Sede Alexandrina, anathema dicere Eutychi et subscribere Epistolae S. Leonis Papae, respondent omnes Episcopi: "Dogmata Eutychis quare non anathematizaverunt? Cum impostura petitiones porrexerunt. Epistolae Leonis subscribant, anathematizantes Eutychen et dogmata ejus. Eludere nos volunt et discedere". Profitentur Aegyptii paratos se esse ad subscribendum Epistolae Leonis, quamprimum nacti fuerint novum Archiepiscopum quem in subscribendo ducem sequerentur. Qui non subscribit Epistolae, cui omnis sancta Synodus consentit, haereticus est. (Labbe. Tom IV. col 511. ad 515.)

Concilii Quinti celebrationem quidem Vigilius Papa non approbavit, sententiam tamen in hoc Concilio latam contra tria Capitula Vigilius tandem in Epistola at Eutychium implicite approbavit, et successores explicite confirmarunt. Est autem sententia hujusmodi. Condemnamus autem et anathematizamus una cum aliis omnibus haereticis . . . . et Theodorum, qui Mopsuestiae Episcopus fuit, et impia ejus conscripta; et quae impie Theodoritus conscripsit contra rectam fidem, et contra duodecim capitula S. Cyrilli, et contra Ephesinam primam Synodum, et quae ad defensionem Theodori ac Nestorii ab eo scripta sunt. Super haec autem anathematizamus et impiam

Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse ..... Praedicta igitur tria Capitula anathematizamus, id est, Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis; et quae impie Theodoretus conscripsit; et impiam Epistolam quae dicitur Ibae; et defensores eorum, et qui scripserunt, vel scribunt ad defensionem eorum; vel recta ea dicere praesumunt, vel omnino impietatem eorum, nomine S. Patrum aut S. Chalcedonensis Concilii, defenderunt aut defendere conantur." (Labbe Tom. V. col. 568. 575. 578. 579.)

Concilium VI. (Labbe Tom. VI. col. 944): "Retractantes dogmaticas Epistolas, quae tanquam a Sergio scriptae sunt tam ad Cyrum quam ad Honorium Papam antiquae Romae: similiter autem et Epistolam ab Honorio rescriptam ad eundem Sergium; easque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus et a definitionibus Sanctorum Conciliorum, et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omnino abjicimus, et tanquam animae noxias execramur"

Lateranense IV: "Damnamus ergo et reprobamus libellum seu tractatum quem Abbas Joachim edidit contra M. Petrum Lombardum de Unitate seu Essentia Trinitatis .... Si quis igitur sententiam sive doctrinam praefati Joachim in hac parte defendere vel approbare praesumserit, tanquam haereticus ab omnibus confutetur." (Labbe Tom XI. col. 14.)

Constantiense sub Martino V. jubet tanquam haereticum judicari omnem Christianum qui praesumpserit "aliter sentire aut docere quam Sacrosancta Romana Ecclesia et universalis docet, praedicat et observat; aut articulos seu libros "et doctrinas praefatorum haeresiarcharum "Joannis Wickleff et Joannis Hus et Hieronymi per eamdem Constantiensem "Synodum, cum suis auctoribus damnatos et damnatas, tenere, credere et dogmatizare, ac vitae finem ipsorum haeresiarcharum, publice vel occulte, pertinaciter quamodolibet laudare vel approbare, etc." (Labbe Tom. XII. col. 261)

Objectiones.

Obj. 1a. Ecclesia non est infallibilis nisi in proponendo ea quae continentur in verbo Dei seu scripto seu tradito. Non continentur autem in hoc Dei Verbo Librum Jansenii esse haereticum. Ergo Ecclesia non est infallibilis in declarando Librum Jansenii esse haereticum.
Respondemus 1o arguendo ex concessis.
α) Non magis continetur in Deo Verbo libros Sti Augustini de gratia et praedestinatione esse orthodoxos quam Jansenii Librum esse haereticum, et

tamen concedunt Jansenistæ infallibilem esse declarationem Ecclesiæ circa Orthodoxiam horum librorum. Ergo nihil obstat quominus, etiam circa heterodoxiam Libri Jansenii, infallibilis sit Ecclesiæ Declaratio.

β) Non magis continetur in Verbo Dei libros V. et N. T., prout in veteri Vulgata Latina legi consueverunt, esse Canonicos, quam Jansenii Librum esse haereticum. Atqui tamen concedunt Jansenistæ esse illud infallibili cum auctoritate ab Ecclesia declaratum. Idem dic de infallibili transmissione Verbi traditi et de infallibilitate interpretationis Ecclesiæ circa quemcunque locum Scripturarum.

Respondemus 2° Negando Majorem. Ecclesia enim non est infallibilis solum in proponendo dogmate, sed etiam in designando errore qui dogmati contradicit, et in affirmandis factis illis sine quorum infallibili certitudine Ecclesia nec esset ipsa infallibiliter certa de Veritate Decretorum suorum, nec proinde efficaciter impediret quominus fideles " circumferantur omni vento doctrinæ, ut jam explicatum fuit.

Minorem Distinguimus: Non continetur in Verbo Dei explicite aut im-

plicite Librum Jansenii esse haereticum, ante Ecclesiæ declarationem, omitto: post Ecclesiæ declarationem, non est hujus facti veritas contenta in Verbo Dei, ne implicite quidem, Nego. Nam post Ecclesiæ declarationem praesto est etiam rudibus ratiocinium istud; Continetur in Verbo Dei, Corpus Pastorum esse infallibile in iis quæ docet omnes gentes. Atqui Corpus Pastorum evidenter docet omnes gentes Librum Jansii esse haereticum. Ergo supposita declaratione Ecclesiæ ex ipso Verbo Dei infallibiliter verum est, Librum Jansii esse hæreticum.

An jam ista conclusio sit conclusio de fide, an solum Theologica, pendet ex duabus aliis quaestionibus, quas non opus est hic examinari, videlicet an prædicatum minoris sit implicitè formaliter identicum cum prædicato Majoris, et deinde an assensus detur legitimitati consequentiæ, an vero consequenti ut implicitè contento formaliter in præmissa revelata. Sufficit nobis id quod omnes concedunt, supposita naturali evidentia minoris, non posse negari consequens quin negetur ipsa præmissa revelata; et consequenter non posse negari consequens sine peccato contra fidem.

Instant. Constat Episcopos Africæ et

Istriae rejecisse sententiam Synodi V. quoad condemnationem trium Capitulorum. Ergo non agnoscebant infallibilitatem Ecclesiae judicantis de heterodoxia librorum.

Respondemus, conclusionem esse mancam: oportebat concludere, ergo vel non agnoscebant auctoritatem Ecclesiae in judicio de libris, vel non agnoscebant legitimitatem Synodi V. adeoque sententiam hujus Synodi non agnoscebant ut sententiam Ecclesiae docentis.

Iam vero auctoritatem Ecclesiae in judicio librorum ineluctabilem esse, Istri et Africani tam firmiter tenebant, ut latum, quod falso opinabantur, a Synodo Chalcedonensi, judicium de Capitulis, contenderent esse irreformabile; et ideo, contrarium, ut putabant, judicium latum a Synodo V., rejicerent tanquam judicium non Ecclesiasticum, sed Iustiniani tyrannide extortum.

Patet hoc tum e Scriptis Facundi Hermianensis, tum ex Pelagii Papae II Epistola 2ª ad Episcopos Istriae, in qua Schismaticos conatur convincere erroris quod existiment concilium Chalcedonense aut aliquod judicium aut irreformabile tulisse; deinde Vigilium ultimam sententiam suam tulisse non coactum aut territum, et subsequentes Pontifices eamdem sententiam

tenuisse.

Affirmat ergo Pelagius Papa Synodū Chalcedonensem nullum omnino judicium tulisse de tribus Capitulis: et revera nullum exstat in actis Synodi hac de re judicium.

Affirmat secundo, nullius roboris futurum fuisse judicium, si quod de tribus Capitulis Chalcedonenses Patres tulissent; quia non fuerant convocati ad judicandum quidquam aliud nisi causam fidei contra Eutychen; haec autem causa terminata fuerat in sex primis Sessionibus, quas solas Leo Papa approbaverat, et in quibus nihil omnino de tribus Capitulis statutum fuerat.

Sententiam autem Synodi quintae esse ab Apostolica Sede et constanter et libere approbatam, non est hodierna die probandum, quum ipsius Pelagii Papae tempore fuerit hoc extra controversiam, atque ideo solum Istriae Episcopi a communione Sedis Apostolicae seipsos avulserint. Vide Labbe Concil. Tom V. col. 942.

1299.

Objectio 2a. In Synodo Ephesina dicitur anathema tum doctrinae, tum personae Nestorii; in Chalcedonensi dicitur anathema tum doctrinae, tum personae Eutychis; in Synodo V. dicitur anathema

tum doctrinae, tum personae Theodori Mopsuesteni. Atqui non est Ecclesia infallibilis in ferendo anathematé contra personas. Ergo ex anathematé dicto doctrinae seu Nestorii seu Iansenii, non sequitur doctrinam eorum infallibiliter esse damnatam ut Hetero-doxam.

Respondemus concedendo Totum: quia non sic argumentamur ut objectio ponit. Catholicorum argumentum dicit, Ecclesiam infallibilem in docendo, quae doctrina sit conformis Verbo Dei, esse eo ipso infallibilem in docendo quae doctrina Verbo Dei contradicat. Sed ex eo quod doctrinae orthodoxiam et heterodoxiam cognoscit infallibiliter, non sequitur Ecclesiam etiam cognoscere infallibilibiliter personam quae doctrinam seu orthodoxam seu Heterodoxam protulit. Sicut enim quorundam librorum Canonicorum Scriptores quinam fuerint ignorat, ita quoque haeresum quae in Origenis Operibus inveniuntur, quis fuerit auctor non certo cognoscit.

Quando autem Ecclesia certo cognoscit, ut saepe fit, heterodoxae doctrinae auctorem, eique pertinaciter resistenti anathema dicit, id est, ab Ecclesiae Unitate praecidit, non permittit Christiana prudentia dubitationem de Iustitia

hujus sententiae, quia reapse nulla militat probabilis ratio pro assertione contraria; et hoc sensu jubentur fideles anathematizare, id est agnoscere ut legitime separatum ab Ecclesia eum, cui Ecclesia anathema dixit: verum non exigitur ut fideles agnoscant, hanc Ecclesiae sententiam contra personam haeretici, habere adjunctam infallibilitatem illam divinam quam Christus promisit Ecclesiae ferenti sententiam de doctrina.

———— " ————

Adjungemus, quae adhuc desunt, quamprimum per librorum copiam licebit.